

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

DE PORPHYRIO PHILOSOPHO MACARII MAGNETIS APOLOGETAE CHRISTIANI IN LIBRIS ΑΠΟΚΡΙΤΙΚΩΝ AVCTORE.

VGVRALEM

HEIDELBERGENSI

RDINI

OSOPHIA HONORES

SCHILDT

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MDCCCCVII.

4097 5-39 25M S

DE PORPHYRIO PHILOSOPHO MACARII MAGNETIS APOLOGETAE CHRISTIANI IN LIBRIS ΑΠΟΚΡΙΤΙΚΩΝ AVCTORE.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

REVERENDISSIMO

IN ACADEMIA RVPERTO-CAROLA HEIDELBERGENSI

PHILOSOPHORVM ORDINI

AD OBTINENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

OBTVLIT

HERMANNVS HAVSCHILDT

HOLSATVS

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MDCCCCVII.

Cap. I.

De Macario Magnete et eius opere.

Macarius Magnes, fidei propugnator Christianae, invidiosa quadam oblivione semper obrutus fuit[1]; quadraginta vero ante annos Athenis denuo reperta est maior pars eius libri apologetici ac duobus fere lustris post primum in lucem edita[2]. Statim Duchesnius in ea dissertatione, quam laudavi in nota 1), inquisivit in patriam atque aetatem novi scriptoris et illam quidem cum Tillemontio regionem Euphratensem circa Edessam civitatem fuisse suspicatus est, hanc post annum 300 p. C. vel etiam 330 neque multo post 350 statuit[3]. Sed Duchesnii opinionem viri docti abiecerunt utramque: Theodorus Zahn[4]) Macarium demonstrat vix Syriam incoluisse, sed versatum esse in Asiae provinciae regionibus; Moellerus[5]) iam antea Ma-

---

1) De fortuna librorum Macarianorum, de testimoniis inde sumptis, de viris doctis, qui operam in illos libros contulerunt videas singula in M. Crusii Gottingensis de Macario disputatione, quam multis notis auctam J. B. Pitra inseruit Spicilegii Solesmensis tomo I (p. 544—553), in quo idem fragmenta quaedam Macariana in Nicephori patriarchae Antirrheticis, quae dicuntur, servata edidit (Paris. 1852).

Inde sua deprompsit L. Duchesnius, quae profert in primo capite dissertationis a. 1877 Parisiis editae, quae inscribitur: De Macario Magnete et scriptis eius.

2) Μακαρίου Μάγνητος ἀποκριτικὸς ἢ Μονογενής ed. C. Blondel Parisiis 1876. — Opus amici praematura morte obiti absolvit Paulus Foucart.

3) Similiter editores in praefatione Macarii aetatem circumscripserant.

4) In Schuereri „Theolog. Litt. Zeitg." 1877, p. 521 sqq.

5) In Briegeri annalibus, quibus est titulus: Ztschr. f. Kirchengesch., vol. II (1877—78) p. 450 sqq.

gnetem nostrum episcopum illum fuisse Magnesiae contenderat, quem in synodo a. 403 ad Quercum habita Heraclidem Ephesiorum episcopum accusavisse Photius est auctor[1]), cum ei maxime congruerent artes theologicae in libris ἀποκριτικῶν prolatae.

Nonnulla argumentis eorum ex Macarii libris addiderim testimonia: *Graecum* certe elato animo se profitetur hoc loco (p. 29, 12 sqq.): οἱ γὰρ ἐνάγοντες (scil. Christum) μὲν ἦσαν Ἰουδαῖοι, οἱ δὲ κρίνοντες Ῥωμαῖοι, βάρβαρον ἔθνος ἑκάτερον καὶ λόγον ἐλευθερίας μὴ ποιούμενον μηδὲ παιδεύσεως ἑλληνικῆς κατέχον λεπτότητα[2]); Graecum autem hominem fuisse ex Asia oriundum fortasse colligas ex eo, quod praeter Porphyrium (p. 146, 2) auctores nominatim non laudat nisi Jonicos: Homerum sane (p. 198, 2), sed etiam Aratum Cilicem (191, 17) maximeque Herodotum (30, 20 et 179, 15)[3]) vel quod, si ullam remotarum regionum, certe circa Istrum Scythasque sitam melius videtur novisse[4]) cum Asia propius sane coniunctam quam cum Babylonia, montium autem ubi exempla affert (111, 23), praeter sacrum Sinaium et poetarum saltus, Παρνασὸν scilicet, Ὄλυμπον, Ἴδην, nullum appellat nisi Γάργαρον Troianum, Ταῦρον, Βόσπορον, montes Asianos vel Asiae provinciae proximos. Nescio vero, an maioris non sit momenti inveniri in Macarii libris sat multas Jonici sermonis formas vocesque[5]), siquidem constat inter viros doctos posterioris

---

1) cod. 59, p. 176 Bekk.

2) Non repugnat, quod saepe (velut 28, 1 al.) adversarium suum philosophum traducit verbis τὴν ἑλληνικὴν δόξαν vel sim., namque talibus locis ἑλληνικός de religionis paganae confessoribus intellegitur, de quo usu vid. Kukula in dissertatt. in Gomperzii honorem conscriptt. p. 359 sqq.: „Über Ἕλληνες und Βάρβαροι in der altchristl. Apologetik."

3) Sed aliis quoque locis hunc sequitur nomine non allato, si conferre lubet nostri p. 146, 12 cum Hdt. VII 114 et nostri p. 170, 7 cum Herodoti libri I toto fine.

4) Cf. 179, 11 sqq., nam quae de illo flumine commemorat, non invenies omnia apud Herodotum (IV 47 sqq.) velut numerum 35 fluviorum, quibus Istrum ait augeri.

5) Exscripsi has: αὖτι semel 109, 18, cum passim legatur αὖθις. — κατημαξευμένος 75, 6, ab editoribus falso mutatum in καθημ. — ἀρούρης,

Graecitatis linguam, quam dicunt κοινήν, permulta e dialecto Jonica sumpsisse atque inde haud pauca in usum omnium serioris aevi scriptorum fluxisse.

At certe non orientis regiones, sed Asiam vel vicinitatem aulae illius Caesareae Constantinopolitanae sapit quoddam studium cum Romanarum rerum tum linguae Latinae, quam adeo videtur Macarius adamasse, ut p. 109, 30 Cyprianum episcopum dicat Χαρταγιναῖον vel Καρθαγιναῖον (ut editores scripserunt) nomine certe Latino, quod nusquam, quantum video, in libris Graecis legitur[1]. Talem autem Latinitatis

---

sed id quidem propter adiunctam vocem ληΐοις fortasse ex Homeri memoria allatum. — Praeterea haec vocabula, quae testimonio lexicorum videntur esse Ionica: ἄσταχυς pro στάχυς (171, 20), ἀοίδιμος passim (1, 6; 64, 21; 82, 31 al.), δέμω (83, 1 et 187, 28), δῶμα (ibid.), quod praeter poetas unus habet Herodotus, θεσμός (164, 20) „poetic. et ionic.", κάλος pro κάλως (40, 18), κολωνός pro κολώνη (41, 12), μνάομαι generali sensu petendi, ambiundi (208, 17 et 226, 21 [προμνάομαι]), πῖδαξ (171, 13), σῶος (180, 7), ψάμμος (4, 13).

1) Gregorius, ut exemplum afferam, Nazianzenus, aequalis fere nostri scriptoris, de eodem episcopo Carthaginiensium dicit: Κυπριανός ... τῆς Καρχηδονίων προκαθέζεται ... ἐκκλησίας (p. 445 A edit. Maurin. neque aliter p. 440 D).

E Latinis autem verbis, quae legimus apud Macarium, minus ea valent, quae una cum rebus significatis a Graecis recepta passim in eius aetatis libris et iam in s. scriptura saepius inveniuntur velut λεγεών (77, 24. 28), μάκελλον (146, 25) vel μακελλεῖον (147, 19), πραιτώριον (33, 17), τίτλος (5, 13) neque hoc proprie modo dictum de indice quodam, sed tralaticie: τὸν τῆς εὐσεβείας τίτλον (66, 24); item vel tropice quasi patria vox usurpatur δηνάριον: τῆς ἐλευθερίας ἐκλάπη τὸ νόμισμα καὶ τὸ κίβδηλον τῆς δουλείας ἐφάνη δηνάριον (43, 25 sq. et sim. 151, 2). — Manifestum vero, cum minime eo loco (77, 12) opus sit Latino sermone, est illud: λαβεῖν, ὡς οἱ Ῥωμαῖοι λαλοῦσιν, εἰς σέδετον (cod. σέδεθρον), quo verbo, opinor, aliquo modo „sedatum" reddi voluit scriptor, sed quam vel ipse vel librarius aliquis male truncavit. Licet fortasse vocem quoque illam παραπάλλιον (p. 125, 12 de magorum aliquo velamine dictam — cf. 33, 11: ἐν παραπετάσματός τινος τέχνῃ), quae e Graeca lingua vix explicari potest, ad Latinum „pallium" referre, itemque p. 77, 23: ῥωμαϊκοὶ δ' οἰκονόμοι δεσπόταις ἀποκρινόμενοι (i. e. „dominis rem praestantes") de Latini verbi respondendi fortasse usu, non de Graeco ἀποκρίνεσθαι derivari potest. Quodsi forte propter duas, quae hoc loco (p. 77) inveniuntur, Latini sermonis similitudines totam disputationem historicam ibi prolatam

scientiam in regionibus Graecis non ante increbruisse existimabimus, quam imperatores Romani Constantinopoli consederunt ibique aulam suam Latinae quoque eloquentiae doctoribus ornare coeperunt[1]), i. e. vergente saec. IV.

Iam igitur hac quoque ratione ad idem tempus adducimur, quod supra docuimus a viris doctis Macario statutum esse; nec repugnant, quae observamus alia: intima notitia dominatus regii rerumque aulicarum[2]), historia illa potentissimorum hominum summis criminibus obnoxiorum, qui calliditate ac simulatione se servarint, a Macario caute adumbrata (p. 208), quae prorsus quadrat in Theodosii regnum[3]), scientia denique barbarorum fines imperii sollicitantium (76, 16; 132, sqq.)[4]) aut in aliqua iam imperii provincia collocatorum (57, 1). Maxime autem animadvertas res ecclesiasticas: nec tamen nimis quaesiveris, num p. 6 et 7 martyrum aetas praeterisse, contra ascetarum consuetudo summopere videatur vigere[5]); sed

---

ex aliquo fonte Romano fluxisse suspicatus sis, non habes me adsentientem propterea, quod manifesto ea sequitur Euseb. hist. eccl. I 6, 2 sqq. — Ceterum minime nobis repugnat ista opinio, quia Latinae linguae sane peritior est, qui Latinis utitur auctoribus.

1) Velut ca. a. 360 Charisius ex Africa arcessitus est, si cum Usenero (Rh. Mus. XXIII 492) de illo grammatico intellegas, quod Hieronymus in Euseb. chronic. retractatione ad annum 358 adnotavit CHARISTVM in Euanthii locum ex Africa Ctpolim adductum esse Latinae linguae doctorem; Priscianus vero, quem rhetorem Libanius saepius in epistulis laudat (cf. indices editionis Wolfianae edit. Amstelodam. 1738) ut sibi familiarissimum, an simili functus sit munere, nescio.

2) Cf. exemplum de equis regiis sumptum (p. 225, 25 sqq., maxime v. 31: ἱστορία ταῦτα καὶ πραγμάτων ἐναργῶν ἀφήγησις ἀληθής) et titulum αὐλάρχου Petro additum (117, 5).

3) Si conferre lubet, quae Zosimus in Nov. Histor. de illius imperatoris moribus narrat lib. IV c. 27 sqq. vel de Rufini familiarissimi eius sceleribus impune commissis c. 51 sq.

4) Germanorum sane gentes spectat, quae inde ab exitu saeculi IV incursiones facere coeperunt; tam cotidiana autem Macario res est, ut vel ad quodlibet exemplum grammaticum barbari ei praesto sint l. l.: λέγεται δὲ καὶ ἄλλως ἐκ συνηθείας ἑνικῶς τὸ πληθυντικόν· ἀπήντησεν ὁ βάρβαρος τῷ βασιλεῖ ἀντί τοῦ οἱ βάρβαροι ἢ τὸ βάρβαρον ἔθνος.

5) Nihil autem valent ad tempus determinandum, quae nota-

clamant Macarii sententiae theologicae. Totum eius opus, sicut inscribitur Μονογενής, perfectam manifesto spirat eam theologiam, qua in conciliis Nicaeno (a. 325 p. C.) et Constantinopolitano (a. 381) id fundamentum fidei positum est, quod verus deus vel ipsa substantia divina in Christo inierit humanam naturam, quo homines fieri possent divini.

Quem scopum pariter invenies apud Gregorium Nazianzenum illius aetatis theologum proprie dictum[1]) atque Macarium velut:

Greg., De filio homil. II ad fin., p. 556 B Maurin: ἵνα γένῃ, appellat audientem, θεός, κάτωθεν ἀνελθὼν διὰ τὸν κατελθόντα ἄνωθεν δι' ἡμᾶς —

et Marcar. p. 90, 7: (Χριστὸς) τὸ φθαρτὸν ὑπαλλάξας τῷ ἀφθάρτῳ μυστικῶς et ibid. v. 13: ἁπαξαπλῶς τὸν ἄνθρωπον θεὸν ἐργασάμενος et p. 197, 6: ὡς θεὸς λόγος τοὺς λογικοὺς θεοὺς ἐργαζόμενος.

Inde venitur ad paradoxa trinitatis mysteria, quae integra invenies apud Marcarium 209, 20 sqq., apud Gregorium passim, brevissime coartata p. 379 E vel 409 D; inde ad mysticam et ratione non assequendam illam unionem duarum in Christo personarum, λόγου scil. μονογενοῦς et τοῦ ὁρωμένου, ut aiunt, qua omnes tolluntur interpretandae s. scripturae difficultates, aeque rursus apud Theologum et nostrum: velut illud Christi dictum „οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός" aliis eius verbis contrarium apud Gregor. (p. 549 CD) ἀπάντησιν ἔχει πρὸς τὸν πειράζοντα νομικόν ὡς ἀνθρώπῳ τὴν ἀγαθότητα μαρτυρήσαντα, Macarius autem: οὐχ ὡς θεῷ, inquit (p. 12, 16 sqq.) ἀλλ' ὡς ἀνθρώπῳ προσελθὼν διελέγετο φάσκων· διδάσκαλε ἀγαθέ —

vel de Christo moribundo in horto Gethsemane passionem deprecante apud Gregor. p. 685 E, apud Macar. p. 72 sq. eodem

---

runt viri docti, quod p. 109, 31 sqq. Irenaeus, Fabianus, Cyprianus pristini aevi esse dicuntur, quorum postremus non excedit saec. III medium, cum ceteris argumentis ad annum 400 deducamur, et quod p. 145 legitur: Ἑλλήνων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τῶν μακελλευόντων τότε (i. e. temporibus Pauli) γνωριζομένων — quid enim scimus, quando Christiani talia negotia coeperint occuparet?

1) Fuit autem is annis fere 330—390.

verbo affirmatur eum voluisse »δελεάζειν« Satanam, ut in divinam naturam impetum faceret[1]).

Multa etiam afferri possunt singula, in quibus Macarius conspirat cum patribus factionis Nicaenae, sed duas res satis habeo adnotare, etiam symboli Nicaeno-Constantinopolitani, quod dicitur, apud nostrum exstare similitudines[2]) et in Nicephori codice posteriorem quendam librarium de Macarii theologia ita iudicasse, ut clarissimi illius theologiae, de qua diximus, sectatoris nomen primo, quod ibi occurrit, fragmento Macariano adderet[3]).

Contra acerbissimo odio insectatur noster (maxime p. 92 sq.) quandam scholam theologicam, quam vix fuisse aliam apparet nisi Antiochenam illam Diodori et Theodori Mopsuesteni, oppositam Nicaenae et paulo ea posteriorem. Ceterum valde dolendum est certo rem non posse decerni, quia locus, propter cuius interpunctionem, ut ait, impiam Macarius l. l. omnia in illos maledicta contulit, scil. evang. Luc. 23, 43, in fragmentis Antiochenorum in Nov. Testam. commentariorum non exstat. Quae tamen ultro illis Macarius crimini vertit, quod quasi χριστομάχοι — quod nomen in Arianorum convicium inventum erat — Christum velint περιγράφειν ἐν τῷ πάθει, optime congruit iis, quae Adolfus Harnack de Antiochenorum christologia exposuit[4]). Ac rursus habemus Theodoreti Cyrensis, postremi scholae Antiochenae principis[5]), responsionem ad quandam interpretationem mysticam, cuius praeclarum exemplar legimus apud Macarium nostrum p. 73, 2: αὕτη ἡ σκώληξ (de Christo

1) Cf. Nysseni quoque Gregorii cateches. 15—27 et Ad. Harnack, hist. dogmat. II 174.

2) Conferas, velim, p. 91, 29: (Christus ὁ νοητὸς ἥλιος) ἀπορρήτως ἐκ πατρὸς ἀνατείλας ἀχρόνως γενόμενος . . . φῶς ὄντως ἀληθινόν cum illius symboli verbis: τὸν ἐκ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων αἰώνων, φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ κτλ.

3) Monet enim Pitra l. l. p. 311, not. 2 prope ὁ συγγραφεὺς (scil. Macarius!) φάσκει in margine legi Ο ΧΡΥϹΟϹΤΟΜΟϹ, quo forsan deceptos errore studiosos ἀνεκδότων indagatores Macariana tam diu neglecta omisisse opinatur.

4) Hist. dogmat. II 330.

5) Qui fuit ca. a. 368—458.

autem intellegi vult hoc verbum psalmistae) ἄνευ συνουσίας καὶ κοινωνίας ἐγένετο, αὕτη μυστικὴ μονογενὴς ἀπόρρητος, ad quae Theodoretus (Migu. patrol. Graec. tom. 80, p. 1013 A): τινὲς δὲ διὰ τοῦ σκώληκος εἶπον παραδηλοῦσθαι καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν· οὐκ ἐκ συνουσίας γὰρ οὗτος ἔχει τὸ εἶναι· ἐγὼ δὲ ἡγοῦμαι τὴν εὐτέλειαν διὰ τοῦ σκώληκος ἐνταῦθα μόνον παραδηλοῦσθαι.

Certo igitur ex omnibus his argumentis *Macarii libros circa annum CD scriptos esse statuemus.*

Quod erit tenendum, si de ipsius operis consilio atque ratione iam iudicare conabimur. Eius titulum, quoniam, quae ipse fortasse Macarius in universum de rationibus suis initio operis enuntiaverat, haec cum toto libro primo atque secundi parte priore[1]) in uno, quem habemus codice Atheniensi perierunt, Carolus Joann. Neumann in editione sua reliquiarum Juliani imperatoris contra Christianos librorum p. 15 sq. effecit hunc:

Μακαρίου Μάγνητος Μονογενὴς ἢ ἀποκριτικὸς πρὸς Ἕλληνας περὶ τῶν ἀπορουμένων ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ ζητημάτων καὶ λύσεων λόγος α'β'γ'δ'ε'.

---

1) Quam maiorem fuisse censeo quam editores opinati sunt, cum primo, quod aliqua ex parte servatur, capiti numerum adderent VII, scilicet, quia recentiore manu ad sequens caput η'ον, i. e. ὄγδοον (κεφάλαιον) adscriptum est (p. 9, not. 1), ad posteriora deinceps θ'ον (p. 12, not. 1) et ι'ον (p. 15, not. 5). Sed qua ratione sex capita, quae perisse putanda sunt, inter Macarium eiusque adversarium, sicut postulat totius libri ordo, distribuantur? Quinque responsiones Macarianae asservantur Blondelii capitibus VII—XI: una si iam periit, sex quoque adversarii quaestiones, septem igitur in universum capita praecessisse necesse est; si minus, nihil nisi quinque adversarii capita, superabundat igitur in Blondeliana enumeratione unum caput, quod ne prooemio quidem dari potest, siquidem introductiones in ceteris libris carent numeris. Librarius vero ille, quem editores secuti sunt, eo deceptus est, quod posteriorum adversarii capitum primum manu priore adscriptam habet notam ιβ (p. 20, not. 3), secundum ιγ et reliqua pariter usque ad quintum (Blond. cap. XVI), cui appictum est ις, tum desinunt notae; atqui prior manus solas adversarii quaestiones numeraverat, non responsiones Macarii (cf. p. 64, not. 1: εἰς τὸ α'ον λύσις vel al.), ergo ante caput nunc duodecimum non undecim capita Macario adver-

E quibus alterum titulum singulorum librorum ideo vix retinebimus, quod repetitus est e tabulis inscriptionum, quas levissime ac saepe ineptissime[1]) librarius quidam libris Macarianis praemisit, et quod non complectitur omnia, quae libri continent, siquidem praeter locos apocalypseos Petri,. quae tamen fieri poterat, ut in Novi Testamenti libris numeraretur[2]), cum Veteris Testamenti dicta[3]) tractantur, tum — maxime ad finem libri IV et toto, opinor libro V deperdito[4]) — quaestiones generales et dogmata ecclesiastica velut de monarchia, de angelis immortalibus, de incarnatione Verbi seu Λόγου, de resurrectione carnis, alia.

---

sarioque una, sed undena utrique danda erant, duplici, opinor serie ordinanda, qua re hic liber nunc ceteris multo exilior in 32 capita auctus quarti saltem ambitum aequaret.

1) Plerumque satis habuit verbis Τίς ὁ λόγος vel Πῶς εἴρηται locum s. scripturae, de quo disceptatur, adscribere; sed ubi res indicandae erant, velut libr. IV cap. 4. Christianis exprobratur Paulum Petrumque eximiis promissis ab ipso domino confirmatos ut numquam morituros brevi tamen occisos esse, ineptus ille indicis scriptor id significat verbis: πῶς λαλεῖ δι' ὁράματος ὁ Κύριος τῷ Παύλῳ καὶ πῶς συνεχώρησε σταυρωθῆναι Πέτρον.

2) Vid. pagg. 164 et 165; quamquam Macarius ipse p. 185 ut ἀπόκρυφον librum vult παραπέμψασθαι, tamen saepius in librorum sacrorum numero habebatur, maxime in occidentis regionibus, velut est in canone Muratoriano, qui dicitur, s. scripturae.

3) Exod. 31, 18 p. 201 et Exod. 22, 28 p. 205.

4) Non minus *quinque* fuisse libros Macariani operis, etsi nihil de quinto perdito indicant editores, immo Duchesnius l. l. p. 5 et 15 per vim eum opprimere conatus est, tamen apparet testimonio Turriani, quod iam Crusius (apud Pitram l. l. p. 549) monstraverat; Turrianus enim in suo „Dogmatico de Iustificatione ad Germanos adversus Luteranos“ (ed. Romae 1557, non 1551 ut l. l. legitur) in fol. 37 — folia enim, nondum paginae numerantur — e Macarii codice quodam Veneto, quem eundem fuisse ac nostrum Atheniensem contendit Neumannus loco supra allato, prolixum describit fragmentum, quod expressis verbis esse ait „*lib. quinto eodemque extremo*“, non ita libro V, ut cum Duchesnio errorem scriptoris vel typothetae statuere possimus. — Neque ego Duchesnio concesserim, quae ex libro quinto ille depromat, nos eadem legere in quarto; etenim nusquam inveni in Macarii editione Parisina gravissimam illam de fide et operibus vel de adipiscenda salute expositionem, quae servatur rarissimo illo opere Turriani.

Priore autem titulo ἀποκριτικῶν significatur, ut iam Nicephorus patriarcha vidit[1]), illo libro responderi quibusdam quaestionibus[2]) vel praeberi argumenta, quibus quis respondeat talibus quaestionibus. Etenim Macarius Theostheni, amico benevolentissimo[3]), disputationem describere videtur a se cum philosopho pagano compluribus diebus institutum ita, ut singulorum dierum certamen singulis libris contineatur. Et ita quidem procedit oratio, ut semper philosophus, a s. scripturae locis plerumque exorsus seriem quaestionum vel exprobrationum proferat, iam Macarius servato ordine argumentorum ad singula respondeat.

Hanc formam sermonis a Christianis cum paganis, Iudaeis, haereticis habiti haud raro adhibetur apud Christianos scriptores ad exponendas fidei vel theologiae sententias[4]); sed cum initio quidem de cotidiano usu in libros disputationes transferrentur, brevi mera evasit forma scribendi. Ac bene Adolfus Harnack monet[5]) scriptores illorum dialogorum non tam eos spectasse, quos titulus appellaret, quam qui intra

---

1) P. 306, 17 ed. Pitr.

2) Perinde ac si opus inscriptum esset ἀποκρίσεις, sicut fragmenta Macariana introducuntur in quibusdam testimoniorum collectionibus (cf. Duchesnium l. l. p. 6 sq.). — Namque etsi lexica adiectivo ἀποκριτικός nullam concedunt vim nisi „rei discernentis, aptae ad discernendum", tamen hic nominis ἀποκρίσεων quaedam periphrasis subesse mihi videtur ei similis, qua in posteriore Graecitate articuli neutrum maxime plural. cum substantivi genetivo coniunctum circumscribit simplex substantivum, cuius figurae multa exempla congessit Paulus Wendland in indice editionis Aristeae p. 203, multa apud ipsum quoque Macarium inveniuntur, e quibus huc maxime spectant haec: τὰ τῆς ἀποκρίσεως 37, 10; τὰ τῶν ἀπορουμένων 125, 6. 7; τὰ τῶν ἀποκρίσεων 194, 1; τὰ τῶν προτάσεων 206, 6. — Conferas etiam titulum ἀντιρρητικῶν, quem post Gregorium Nyssenum (vid. Bardenheweri Patrolog. p. 275) multi scriptores Christiani libellis suis indiderunt.

3) Cf. p. 51, 2 et 157, 3 Blond.

4) In universum cf. de his Rudolfi Hirzel librum de Dialogo II 368 sqq.

5) In dissertationum serie ab ipso et Gebhardtio edita, quae inscribitur „Texte u. Untersuchungen z. Gesch. d. altchristl. Literat." tom. I (1883) fasc. 2.

ecclesiam similes moverent difficultates dubitationesque ac paganis solverentur in libris illis. Quid vero ca. a. 400, quo tempore Macarium scripsisse supra probavimus esse putandum, cum religio Christiana summa potestate potita per vim paganorum reliquias opprimere iam inciperet, oportebat libris refellere „Graecos“?

Quodsi Macarii libros inspexeris, statim invenies paganorum, cum quibus colloquatur, parum eum habere rationem, cum ipsis praesentibus, ut exemplum afferam, Iudaeorum lapsum dicat πλοῦτον ἐθνῶν (109, 4) et Christi crucem τοῖς ἀπίστοις esse σκότος ἀδιόρθωτον (ib. v. 6), contra intima doctrinae Christianae quasi scientibus leviter modo perstringendo proferat: notiones[1]), nomina Veteris maxime Testamenti[2]), dogmata[3]). Immo quodam studio sermonem ad res vere theologicas deducere solet, quaestiones vero theologiae

---

1) Passim εὐαγγέλιον, ἅγιον πνεῦμα, οἰκονομία (quasi universa dei de salute hominum consilia atque instituta) vel alia, sed etiam Βελίαρ p. 64, 8; 82, 32; 116, 12 nulla explicatione addita; immo in philosophi capitibus, de quorum compositione altero capite nobis agendum erit, audientibus talia nuda et inexplicata obiciuntur: γραφικὸν κεφάλαιον dicit (p. 98, 8) sententiam e Veteris Testamenti s. scriptura petitam, Christum non modo ut τὸν διδάσκαλον (minime διδ. ὑμῶν!) introducit, sed ut παῖδα θεοῦ (53, 6) τὸν Υἱόν (165, 9), τὸν ἐπιδημήσαντα (167, 8) et Petrum ut πρωτοστάτην τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν (102, 1) vel sim.; novit τὴν προσδοκωμένην ἀνάστασιν καὶ ἔλευσιν, sive Christi de caelo reditum intellegit sive fidelium ad eum ascensum a Christianis in terminum rerum exspectatum (162, 8).

2) Non Abrahami vel Mosis modo, sed etiam remotiora velut Νῶε (188, 18), Ἰερεμίας (65, 16), Ἰεζεκιήλ (105, 7), Ἀββακοῦμ (66, 12) vel Χωρήβ montis (89, 17) al.

3) Etenim totam de Christo praeexistente et per prophetarum veterum ora loquente, totam de incarnationis consilio et de natura diaboli doctrinam nosse oportet eum, qui perspiciat disputationem p. 72, 17 sqq. prolatam, cum Christus dicatur τὸν κρυπτόμενον ἀρχέκακον καὶ πανοῦργον καὶ δόλιον δράκοντα θέλων ἀνασπάσαι . . . δίκην σκώληκος τῷ τῆς θεότητος ἀγκίστρῳ περιβάλλειν τὸ σῶμα, subito vero de hoc evangeliorum Iesu ad praeexistentem Λόγον, qui divino instinctu psalmistas concitaverit, nulla significatione transiliatur v. 21: ὅθεν καθὸ ἄνθρωπος ψάλλων πρὸ πολλοῦ τοῦτο κατεμήνυε λέγων (scil. idem Christus): ἐγὼ δέ εἰμι σκώληξ καὶ οὐκ ἄνθρωπος (Psalm 21, 17). Talia a pagano intellegi posse quis contendat?

illius Nicaenae vel etiam provectioris, ut supra demonstravimus, nec rationem habet eo se longe disputationis fines excedere. Etenim quid curant pagani mysticam allegoriam aperti lateris Christi p. 32 explicatam, quid orthodoxam de cena domini sententiam pagg. 105—7 prolatam, quid trium in una substantia personarum divinarum proprietates actionesque p. 209 plurimis verbis descriptas? Quid, quod in difficili sane daemonum et porcorum historia non refutatis adversarii criminibus p. 77, 25 ultro vel currupto s. scripturae textu superfluam introducit disputationem, cum Christum ex daemonio quaerentem faciat: τί σοι ἦν ὄνομα; — adversarius autem p. 55,6 libros sacros secutus scripserat: τί σοι ὄνομα; — quo aeternum eum ostendat dominum legionis angelorum etiam lapsorum? Quin etiam, ubi Petrum seu Paulum defendendum suscepit (p. 117 vel 148 sq.), brevi contingit ei, ut quadam arte deflectat ad trinitatis mysteria vel ad Unigenitum suum.

Quibus de causis equidem contenderim toto opere suo Macarium nihil agere nisi, ut recentem theologiam Nicaenam divulget in ecclesiam et quasi panchrestum medicamentum commendet omnium difficultatum, in quibus forte Christiani sacros libros diligenter legentes offenderint, simulque fidelibus copiam faciat illius theologiae adversarios verbis opprimendi. Et profecto perlucere videtur proprium hoc Macarii consilium uno loco, quo disputationis suae omnino oblitus dialogum in dialogo instituit (p. 92, 18): Πρὸς οὓς (scil. qui nefariam quandam interpretationem s. scripturae proferant) ῥητέον, εἴ γε συνετεύξαντο, κτλ.

Quomodo autem Macarius perficeret illud propositum? Omnino enim fieri non poterat, ut theologiae Nicaenae sectator ipse moveret difficultates vel dissensiones subesse concederet in libris sacris, quos ad verbum spiritu sancto scriptoribus in mentem suggestos esse nemo infitiabatur nisi haereticus[1])? Peropportune igitur ei accidisse existimaveris, si in libro alicuius scriptoris pagani tales s. scripturae discrepantias omni studio conquisitas et contra Christianos promulgatas inveniret:

1) Cf. quod ipse Macarius dicit p. 74, 11 sqq.: οὐ γὰρ ἄλλος ἐλάλει τῷ Ἐσδρᾷ καὶ ἕτερος τῷ Μωσεῖ, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα ἑκατέρους ἐδίδαξε καὶ ἀμφοτέροις τὰ αὐτὰ σαφῶς ὑπηγόρευε.

quem librum si discerpendum sibi proponeret, optimam certe occasionem nactus esse sibi videbatur fidelibus, cum quasi Graecis eos doceret respondere secundum operis titulum ἀποκριτικῶν, revera, quascumque quivis moverat dubitationes, ex sententiis orthodoxae theologiae tollendi. Quid, si illum librum — quem semel statuamus fuisse Porphyrii κατὰ Χριστιανῶν opus Christianis certe omnium maxime invisum — nemodum refutaverat nisi Methodius et Eusebius, qui quidem ante fuerant, quam theologia vere orthodoxa perfecta est, et Apollinarius Laodicenus haereseos ille nota aspersus? Nonne etiam praeclarius videbatur propositum?

Cap. II.

Qua ratione adversarii partes Macarius in libris ἀποκριτικῶν effinxerit.

Quod in priore capite suspicati sumus Macarium, cum effingeret dialogum, ex aliquo libro Graeco eas quaestiones sumpsisse, quas moventem facit adversarium suum, id comprobarunt viri docti argumentis gravissimis, Duchesnius (l. l. p. 21) „stili disparitate et diversa pugnandi ratione" vel eo, quod in pagani incriminationibus „nihil ex pondere detractum" videatur, „nihil ex felle malitiaque deminutum", Zahnius autem (l. l. p. 453) differentiis locorum e s. scriptura simul a Macario et eius adversario allatorum [1]). Comprobatur autem eo quoque, quod

1) Pauca quidem attulit exempla neque ea gravissima, siquidem uno loco (Mc. 5, 9, p. 55, 7: ὅτι πολλοί — p. 77, 28: λεγεών) adversarii textum nescio cuius vitio corruptum esse censeo omissa voce λεγεών, de qua ne Macarius quidem tam multa disseruisset, si ab adversario omnino non dicta esset, altero autem loco (I Cor. 6, 11 p. 198, 10 et p. 206, 12; 208, 21; 210, 1) discrepantia vocis ἀλλά et ἀλλ', sicut in omnibus libris antiquis restituendis, nihili est, eoque magis, quod Macarius tribus locis ipse sibi non constat.

Ceterum in plurimis capitibus aliquid est dicendum de ratione,

Macarius argumentorum ordinem atque delectum sequitur a

---

quae inter Macarium eiusque adversarium intercedat in laudandis locis s. scripturae et digna res est, quae propria dissertatione accuratius exponatur. Namque inter adversarii lectiones invenientur, quae peculiarem s. textus conformationem praebeant (velut p. 20, 4 sq. et 10 sqq., p. 55, 5 sqq., alia, de quibus postea fortasse data occasione disputabimus). Sed difficillima est res, et quod s. textus restituendi parum idonea adhuc nobis praesto sunt adminicula, et quod semper veterum scriptorum moris ratio habenda est sententias ex alio libro afferendas suo iudicio mutandi vel stili sui consuetudini accommodandi, sicut Macarius in profana quoque historia Apollonii Tyanensis (p. 66, 19 sqq.) vel in locis ex apocrypha Petri apocalypsi allatis (p. 185) haud leviter ab adversario eadem referente (pp. 52 et 164 sq.) recedit. Quanto magis in s. scriptura, cuius cotidiano usu provenerant lectiones innumerabiles! Nos satis hic habemus varias rationes adumbrare, quibus s. textum ab adversario allatum Macarius seu consilio sive inscius mutaverit eoque illius capita sui iuris esse ostenderit.

Et primum quidem lectiones elegit vel ultro mutavit, quae suae disputationis consilio congruant: p. 37, 3 verbum introduxit καταβάλλειν, p. 77, 28 textum, ut supra commemoravimus (p. 13), ultro corrupit in τί σοι ἦν ὄνομα; p. 151, 11 propriae interpretationis gratia ἀναστήσονται pro ἀποστήσονται scribere non dubitavit, p. 197, 13 cum Marco evangelista (Mc. 2, 17) verba εἰς μετάνοιαν, quae adversarius (p. 168, 2 et 5) Lucae textum (Lc. 5, 32) secutus addiderat, omittit, quia totam sane argumentationem eius conturbassent.

Tum saepius Macarium videmus sententias ab adversario breviores allatas secundum verba s. scripturae, quae a pueritia certe memoria tenebat, amplificare (si conferre lubet p. 24, 2 sq. cum 40, 14; 99, 4 sqq. cum 115, 11 sqq.; 131, 2 sqq. cum 148, 2 sqq. et 151, 11 sqq.), aliis locis — sicut plerumque accidit in verbis, quae semper e memoria laudari solent ut sententiae librorum sacrorum apud Christianos — neglegentia quadam ordinem verborum mutare (cf. p. 22, 3 sq. cum 32, 6 vel 26, 2 sqq. cum 42, 2 sq. et 12; 44, 24 sq.), sententiam constringere (cf. 162, 2 sq. cum 181, 2 sq.), interdum similes locos inter se confundere (cf. 20, 4 sq. et 10 sqq. cum 29, 5 sq.).

Restant ii loci, quibus proprias lectiones adversarii a s. scripturae codicibus sollemnibus alienas plane sequitur Macarius in responsionibus, velut Matthaei duo versus (Mt. 10, 26 et 28) a philosopho contaminati (53, 2 sq.) non aliter leguntur apud Macarium (69, 3 sq.) vel, ubi de promissione Christi discipulis data (Mc. 16, 17. 18) duas res inverso ordine adversarius elegit (p. 96, 1 sqq.), Macarius (108, 1 sq.) quamvis non allatis verbis s. scripturae tamen retinet adversarii ordinem nec non θανάσιμον φάρμακον, quod ille pro co-

suo commodo certe alienum [1]), quippe quem invenerit apud scriptorem Graecum, quo auctore utebatur. Praeterea in minutioribus rebus quaedam vestigia reliquit auctoris sui pagani, quem nec dialogica forma librum, quo Christianam impugnaret religionem, condidisse veri simile est et, cum suis maxime popularibus scriberet, Christianas res saepius explicando vel altius repetendo exposuisse. Quae apud Macarium in philosophi capitibus hic illic adhuc invenies omnia [2]).

---

dicum lectione θανάσιμόν τι intulerat, semper repetit. De his multisque locis similibus ita iudicabimus, ut Macarium verba pagani modo perlecta descripsisse securum dicamus: cui opinioni id optime quadrat, quod aliis eiusmodi locis, ubi adversarii prorsus repetit formam, in minutioribus nihilominus quasi invitus suam memoriam secutus s. textum restituit, velut p. 90, 3 pro evangelii εἰμι scribit ἔσομαι sicut philosophus p. 62, 11, sed inserit e. s. scriptura πάσας τὰς ἡμέρας, vel p. 138, 2 verbi ποιῆσαι ultro mutat positionem, vel p. 83, 4, ubi certe sequitur Matthaei textum, ut erat ab adversario (p. 58, 1) prolatus — animadvertas εἰσελθεῖν *semel* positum et τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν et omissam foraminis notionem! — subito de Luca arcessit vocem βελόνης, cum philosophus habeat ῥαφίδος.

Manifestum autem est omnibus his locis, Macarium, ut supra exposuimus, quaedam alterius scriptoris verba ante oculos habuisse.

1) Optime id intellegas ea ratione, qua p. 185 apocalypsin Petri sua aetate de s scripturae canone reiectam, quoniam ab adversario petita erat, tamen studeat tueri. — Contra, ubi ad suas artes theologicas abire properat, ut supra demonstravimus (p. 13), maxime apparet prorsus alia voluisse eum, quem antea quasi ad refellendum descripserat.

2) Nominibus brevem addit explicationem velut p. 23, 3 sqq.: Πιλάτῳ τῷ κολάσαντι αὐτὸν . . . ἢ Ἡρώδῃ τῷ τῶν Ἰουδαίων βασιλεῖ, ibid. v. 8: τῇ Μαγδαληνῇ Μαρίᾳ γυναικὶ χυδαίᾳ καὶ ἀπὸ κωμυδρίου λυπροτάτου τινὸς ὁρμωμένῃ . . . καὶ ἄλλῃ Μαρίᾳ et v. 12: τῷ ἀρχιερεῖ τῶν Ἰουδαίων, vel p. 101, 1 sq.: ἄνδρα γάρ τινα λεγόμενον Ἀνανίαν καὶ σὺν αὐτῷ γυναῖκα Σαπφείραν καλουμένην, p. 58, 6: εἰς τὴν λεγομένην βασιλείαν οὐρανῶν, p. 96, 4: τοὺς ἀντιποιουμένους τῆς ἐπισκοπῆς ἤτοι προεδρίας. — Verbis autem Christi saepius addit, quibus quid dictum sit conditionibus velut p. 62, 3: ἡ δὲ αἰτία τῆς ὑποθέσεώς ἐστιν αὕτη κτλ. vel p. 168, 3: περὶ δὲ τῆς οἰκείας ἐπιδημίας Χριστὸς ταῦτ' ἐρραψῴδει τοῖς ὄχλοις et res gestas secundum s. scripturae verba paulo altius repetendo describit velut pp. 55 et 102. — Multis denique locis, ubi exspectaveris, cum de Christianorum evangelio, magistro (scil. Christo, cf. 94, 6), principibus (96, 4; 97, 6), institutis (131, 5 sqq.) agatur, non adicit ὑμῶν vel ἐν

Habemus igitur in his capitibus argumenta ab aliquo scriptore Graeco contra Christianos promulgata, sed haudquaquam iam ad verbum usque nobis fragmenta illius scriptoris servata esse contenderim, sicut Wagenmannus[1]) ut Porphyriana vernacule vertenda curavit, quaecumque in editione Blondeliana adversario tributa sunt; nam neque ei neque cuiquam ceterorum videtur in mentem venisse Macarii redactoris, quem tamen in iis partibus operis, quas ipse conscripsit, tam prodigum verborum ac propositi rationisque componendi libri tam neglegentem deprehendimus, ut etiam in adversarii partibus verendum sit, ne plura de suo inculcaverit.

Primum quidem in his philosophi capitibus Macarianae arti dabimus formam dialogicam, quam in Macarii fonte vix adhibitam fuisse modo diximus[2]). Saepius enim compluria capita Blondeliana prorsus formulis dialogicis carent velut libri II capp. XII—XIV, libri IV capp. I—III, XXX—XXXII maximeque XIX—XXII, quibus de Petro agitur oratione continua et tam bene contexta, ut tractatum legere tibi videaris, non dialogi partem[3]). At in plerisque capitibus Macarius ad provehendum sermonem et argumenta, quae ex auctore suo elegerat, quoquo modo coniungenda[4]), parum diligenter ad-

ὑμῖν vel tale quid, immo de Christianis ipsis loquitur persona tertia velut p. 97, 3: .... οὐκ ἔστιν ἄξιος τῆς τῶν πιστῶν νομίζεσθαι φρατρίας et v. 6: μὴ ὅπως τὸ λοιπὸν μέρος τῶν Χριστιανῶν, ἀλλὰ μηδὲ τῶν ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων, apertius etiam p. 58, 17 sqq.: ἀμέλει γοῦν χθὲς οὐ πάλαι . . . ἔπεισαν et 201, 5: ἀλλὰ καὶ οἱ Χριστιανοὶ μιμούμενοι τὰς κατασκευὰς τῶν ναῶν οἰκοδομοῦσι κτλ.

1) Jahrb. f. deutsch. Theol. XXIII p. 289 sqq.

2) Attamen, quoniam in illo libro accidere poterat, ut ad ipsos Christianos scriptor converteret sermonem, nonnullos locos, quibus praeter consuetudinem Macarianam adversarius non unum collocutorem, sed universos Christianos appellat (velut 24, 5: εἰ μὲν γὰρ ἐρεῖτε vel 163, 5: μή τί γε φήσετε), nisi aliis de causis suspecti esse videntur, non ultro philosopho abiudicaverim.

3) Quin etiam inepte a librariis atque editoribus capita dilacerata esse talibus locis contenderim.

4) Nam si cuius capitis initio forte omittitur talis adversarii appellatio dialogica, aspere scinditur oratio velut p. 23, 1: ἔστι δὲ καὶ ἕτερος λόγος δυνάμενος σαθρὰν ταύτην ἐλέγξαι τὴν δόξαν; quae verba quo spectent, non intellegitur, namque vix ad ipsius scriptoris sententiam praecedentis capitis in fine prolatam licet referre.

spersit flosculos dialogicos, initio tantummodo et ad finem interdum[1]). Ubi vero nova quaestionum series introducitur, etiam imagines verbosae atque confusae praemittuntur[2]), quas Macarius ipse urbano quodam lepore dicit prolatas esse (καταστεϊζόμενος p. 94, 1), cum nos vereamur, ne sua illi nimis placuerint: adeo enim sapiunt ipsius sermonem putidum et inflatum, tam similis his locis tota ratio est prooemiis libro III et IV praemissis vel parabolis iis, quas summa opera Macarius in unoquoque responsionum exordio variare studet[3]), ut omnes illas imagines ab eo confectas et philosophi argumentis additas esse iudicemus[4]). Id igitur tenebimus philosophi capita initio et fine a Macario retractata iam non certo ostendere, quo quondam ordine et contextu lecta sint in eo libro, quem Macarius exscripsit.

Sed non haec modo conformavit ille in philosophi verbis. Etenim capita eius — id, quod nemo videtur animadvertisse — inter se disparia sunt eademque, quae Duchesnius de universo Macarii et philosophi genere loquendi profert[5]), quadrant in diversas adversarii partes: plerumque clare et praecise expeditur argumentatio et quadam ingenii versatilitate nec sine sale leviter perstringuntur, quae imbecilla videntur esse in Christianorum libris sacris ita, ut Adolfus Harnack iudicet[6]),

---

1) Vid. ex. gr. p. 26, 1: φέρε δὴ . . . ἀκούσωμεν, 27, 3: λέγε δὲ κἀκεῖνο, 60, 1: φέρε δέ σοι κἀκείνην . . . τὴν ῥῆσιν ἀναπτύξωμεν al. multa; ad finem capitis p. 95, 13: καὶ τοῦτο μὲν οὖν. οὐδ' αὐτὸς ἀναγνοὺς ἀσμενίσειας, 131, 9 sqq.: ἀλλ' ἡμεῖς ἔτι λέγειν κατὰ τοῦ Παύλου παυσόμεθα . . . εἰ δ' ἀποκριθῆναί σοί τις περιουσία πρὸς ταῦτα καθέστηκε, μηδὲν ἀναβαλλόμενος ἀπόκριναι, quae verba nisi in libro Macariano non intelleguntur, cum Macarius exitu libri unius diei disputationem finiri voluit ostendere; philosophi vero proximum argumentum initio sequentis libri prolatum denuo Pauli dicta discerpenda sumit.

2) Velut pgg. 94, 125, 198.

3) Cf. pgg. 28, 63, 103, 132, 168.

4) Neque ego scio, an iure et consulto librarius p. 125 demum ad v. 6, ubi ipsa quaestio movetur, notam Ἕλλην adscripserit, priora vero, quamvis dialogica item forma conscripta sint, alii i. e. Macario reliquerit.

5) L. l. p. 2.

6) In libro, qui inscribitur: „Die Mission u. die Ausbreitung des Christentums in den ersten 3 Jahrh.“ p. 353.

quo loco ille quaestiones reliquerit, ibi etiam nunc eas responsum exspectare nec solvi posse nisi quodammodo eius voluntati obsecutus ad simplicia et intima fidem Christianam reformaveris; alia vero sunt capita, in quibus loquendi, immo cogitandi ratio omnino videtur esse immutata, cum tumore sermonis, repetitionibus, exclamationibus, interrogationibus rhetorice, ne dicam loquaciter immixtis, sicut saepissime in Macarii responsionibus, sententiarum paene obscuretur processus. Atque eadem sunt capita, quae vel ambitu ceterorum modum excedunt et in quibus — id, quod supra reticuimus — nonnullae etiam in media argumentatione inveniuntur formulae dialogicae. Quare in his quoque retractationes Macarii suspicabimur.

Sed cum omnia eius modi capita perlustrandi neque tempus sit neque causa, unum quasi exemplar exponemus, in quo largiora et certiora apparent Macarii additamenta, l. III cap. IV. (p. 55—57), ubi miram sane historiam paganus traducit Christi daemones in gregem porcorum mittentis. — Breviter initio rem proponit, qualem Matthaeus descripserat, tum Marcum numeris auctis vel omnes veritatis fines excedere addit, cuius rei testimonium affert ipsa evangelistae verba (Mc. 5, 8 sqq.) propria quadam forma a nostrorum codicum textu usitato aliquanto distante[1]). Qua de causa haec verba

---

1) Mirum autem est philosophi lectionem contra praeclaros perfectae ecclesiae catholicae codices unciales AB saepe consentire cum testibus, ut aiunt, occidentalibus, quibusdam *versionis veteris Latinae* codicibus et codice Cantabrigiensi D Graeco-latino. Pauca Tischendorfii siglis usitatis afferam. Habet noster inde a v. 6:

ἀπὸ τοῦ pro ἐκ τοῦ: (cum A paucisque minusc.) c, f, *i*, l, *q* Latt.
ἐπηρώτησαν pro imperf.: (cum A) a, c, e, ff², *i*, *q* Latt.
τί σοι ὄνομα; pro ὄνομά σοι; D, *it*, *vg*, Origen. *interpr.*
ἀπεκρίθη omisso λέγων: D, a, b, e, f, *i*, *q*.

Iam ὅτι πολλοί pro λεγεών μοι ὄνομα ὅτι πολλοί ἐσμεν (vel simil.) mea opinione aliquo scriptoris vel librariorum errore apud nostrum unum legitur (vid. supr. p. 14, not. 1), non quia nusquam exstat nisi hoc loco — namque postea ἐκβάλῃ pro ἀποστείλῃ item nullo in s. scripturae codice legitur — sed propter sensum et Marcarii responsum.

Deinde τὰ δαιμόνια omisso verbo πάντα noster habet cum uno cod. D; ceteri autem Latini alii alio modo conspirant, nam „daemon*ia*“ vertunt e et f, etsi apud Latinos usitatum est nomen dae-

philosopho, qui priore tempore s. scripturam legebat nondum immutabilem, quam orthodoxae ecclesiae hierarchae Macario adsignare malim.

Eo magis autem Macario tribuenda esse censeo, quae subsequuntur: ὦ μῦθος, ὦ λῆρος, ὦ γέλως ὄντως πλατύς! et v. 15: φεῦ τῆς ἀπαιδευσίας, φεῦ τῆς κωμικῆς πλάνης!, quae plane eadem saepius reperies in Macarii responsionibus velut p. 92, 6 sq.: φεῦ τῆς ἀνοίας, φεῦ τῆς δυσφημίας!, ibid v. 18 sq.: ὦ τῆς ἀπαιδευσίας τὴν μέθην ἀπόζοντες! ὦ τῶν ἐμβροντήτων ἔκγονοι καὶ ἀπόγονοι!, p. 113, 17: φεῦ τῆς ἀνοίας! φεῦ τῆς κακοπραγίας! — Porro quis non cognoscet Macarii morem effingendi voces facta Christi perstringentium, ubi legerit: καὶ ἀκούων τις, ὡς ... ὁ Χριστὸς ... ἐπαπέστειλεν, οὐκ ἐρεῖ· φεῦ τῆς κτλ. et contulerit ea cum Macarianis locis multis velut

---

mo*nis* (Apul. de deo Socrat. 49, 5 legitur daemon pro Graeca voce δαιμόνιον); omisso autem verbo πάντες „daemones" habent b, e, ff², g, *i*, l, *q*.

Tum noster, cum codd. praebeant neutr. plur. (ἐξελθόντα τὰ πνεύματα), nescio cur transiliat ad masculinum ἀπελθόντες εἰς τοὺς χοίρους ac difficiliore verborum compositione pergat: ὥρμησαν κατὰ τοῦ κρημνοῦ ... ὡς δισχίλιοι καὶ ἀπεπνίγησαν. Cuius sententiae totius subiectum fingendum esset δαίμονες, nisi apud Marcum ipsum et δισχίλιοι et ἀπεπνίγησαν de porcis diceretur, ὥρμησεν vero suum haberet subiectum ἀγέλη. Videtur igitur noster illud ὥρμησαν pristino sensu transitivo adhibuisse ita, ut hunc sensum statuamus: „daemones, ut erant numero MM, profecti in porcos incitarunt (scil. eos) et suffocati sunt" vel fortasse nominativum illum δισχίλιοι ab aliquo librario secundum textum sacrum introductum esse rati restituamus accus. δισχιλίους. Eoque magis propriam hanc lectionem mirabimur, quia item in versionibus Latinis illius sensus invenimus vestigia, nempe in cod. b: „et *fecerunt* impetu *ire* gregem per praeceps", inter quam formam et vulgatam („grex magno impetu ... praecipitatus est") fortasse mediam quandam, qua observemus progressum, habemus in cod. g²: „et exeuntes spiritus immundi grex (!) praecipitatus est", cui tamen addit Tischendorfius „nisi apud Sabatier excidit aliquid". —

Denique si extremum quoque ἀπεπνίγησαν pro ἀπεπνίγοντο a solis fere Latinis ostendi respexeris, cum perfecto tempore vertant „suffocati sunt" codd. b, c, ff², l, q, iam in omnibus adversarii lectionibus agnosces perlucere hoc loco Graeca exemplaria Latinorum interpretum.

p. 16, 5 et 16; 18, 19; 33, 9[1]); 67, 3; 85, 23; 91, 3 al. Quid vero hic sibi volunt daemonum consilia immania fusius descripta p. 53, 3: χορεύειν ἐν βίῳ καὶ παίγνιον ποιεῖν τὸν κόσμον ἀκόρεστον, γῆν συμμεῖξαι καὶ θάλατταν, στοιχεῖα ταράξαι τῇ συγχύσει etc., quae a ratione philosophica valde abhorrent, sed optime concinunt cum eis, quae alio loco Marcarius profert p. 29, 19: προσδοκία λοιπὸν ἦν, μὴ κόσμος νεωτερίσας ὅλος αἰφνίδιον γῆν ἐργάσεται θάλατταν καὶ νύκτα τὴν ἡμέραν etc. Deinde Macarianum sapiunt usum voces scaenicae in sensum magis generalem conversae velut τῆς κωμικῆς πλάνης et πενθικὸν τὸ σύμπαν ἐκτελέσαι θέατρον, quibuscum conferas p. 43, 13 sqq. (Adami lapsus δραματούργημα), p. 71, 2: συνέβαινε σκηνὴν τραγῳδίας χαλεπωτέραν γενέσθαι, scil. nisi Christus passionem ad finem pertulisset, p. 93, 25: τῆς σκηνῆς Ἰούδα τραγῳδεῖν τὴν ὑπόθεσιν, p. 119, 23: θέατρον τῆς εὐσεβείας vel similia p. 121, 3; 122, 5; 146, 4; itemque Christiana quaedam verba (ἄβυσσος v. 7, merum ἀρχέκακοι de diabolis dictum v. 8), rhetoricae sententiarum iterationes membrorumque parallelismi ad verbum correspondentium velut τὰ στοιχεῖα ἐκταράξαι τῇ συγχύσει καὶ κτίσιν ὅλην ἀμαλδῦναι τῇ βλάβῃ (v. 5), fortiorum denique verborum pro simplicibus usus velut verbi (απ-)ἐργάζεσθαι v. 1 et 9 cum duplici accusativo coniuncti quasi ποιεῖν[2]).

Dein vero mutatur ratio loquendi: paucis enim verbis sedate nec sine aliqua ironia exponitur, quod saepius a philosopho proferri videmus[3]), ideo illam historiam fictam esse

---

1) Quo loco pro codicum et editorum lectione: εὐθὺς γάρ, εὐθύς, εἰ Πιλάτῳ συνέτυχε καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν ἀξίοις, ἀνεῖπον equidem scribendum esse censeo καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν, ἀξίως ἂν εἶπον κτλ. — Quid enim est ἀνειπεῖν? quid οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἄξιοι nulla re, qua digni sint, addita?

2) Quod Macario valde adamatum est; vid. ἐργάζεσθαι p. 29, 20; 51, 4; 79, 4; 81, 18 etc. ἀπεργάζεσθαι 104, 2. 3 et 32; 106, 33; 172, 11; 187, 16 al.

3) Cf. p. 20, 2; 21, 6; 22, 1 sqq. — Etiam in ceteris quaestionibus, cum τὴν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τερθρείαν traducit (velut 24, 1) vel οὐκ ἄξια παιδὸς θεοῦ τὰ ῥήματα (53, 6) vel talia, id, opinor, vult demonstrare — etsi fortasse hoc saepius paulum obscuravit Macarii retractatio — libros sacros ab hominibus malignis vel ipsius Christi naturam non intellegentibus conscriptos esse, non eiusmodi verbis

censendam, quod talis iniuriae Christus ipse incusari non potuisset, qualis fuisset daemones ex homine depulsos immittere χοίροις ἀλόγοις. Haec maxime brutorum cura philosophi est, praesertim neoplatonici, quem ea aetate harum quaestionum auctorem fuisse censebimus[1]). Paucis igitur his versibus post ipsam rei gestae expositionem primum nos audire philosophi argumentationem iudico.

Neque tamen ipsi ultra ferarum patrocinium quicquam hic tribuerim, sed rursus, quae subsequunter crimina (καὶ τοὺς συβώτας ἐκδειματῶσαι φόβοις καὶ φεύγειν ἀπνευστὶ ποιῆσαι ἐν ταραχῇ κτλ.) tam exilia sunt, ne dicam ridicula, eademque tam inflato sermone pronuntiata, ut vel in uno eodemque enuntiato haec de priore parte discernas ut Macariana argumenta. In proximis deinde sententiis vix diiudicari potest, num quicquam sit ipsius philosophi, siquidem iterum iterumque idem invertitur argumentum, quod detrimentum non oporteat detrimento sanari; postremo vero (p. 57, 1 sqq.) de vita affertur exemplum, scil. imperatoris, qui τὸν βάρβαρον εἰς τόπον ἐκ τόπου ἐκπέμπει μένειν[2]), quod nisi aetati, quam Macario statuimus, nempe vergenti s. IV, non congruit. Neque igitur mirabimur, quod statim Macarii ampullae rhetoricae redeunt, velut monstrosum illud: τερατῶδες μὲν ὄντως καὶ χρᾶναι τοῦτο τὴν ἀκοὴν ποιεῖ δυνάμενον, μεστὸν δὲ φαύλης ὑπονοίας ἐργάζεται (v. 5 sq.) vel iteratio quaedam verborum proprie Macariana[3]) nec deest usitata persona hominis factum Christi, si verum esset, irrisuri (57, 7 sqq.), verbum denique σῴζεσθαι pluries usurpatum Christianum redolet auctorem. Rursus igitur

---

Christo ipsi, quem quanti faciat paulo post ostendemus, plagam inferre.

1) Videas, quaeso, quae Porphyrius et de suo et de aliorum scriptorum sententiis in libris π. ἀποχῆς ἐμψύχων secundum causam brutorum exposuerit.

2) Infinitivum μένειν hoc loco finali sensu a verbo mittendi dependentem accipias, nisi forte μόνον vel aliud conicere malueris.

3) Εὐθὺς γάρ εὐθύς, quam apud Macarium reperies eandem p. 33, 9, similem p. 85, 23: ἔγνω γὰρ ἔγνω σαφῶς vel p. 116, 2 sq.: ᾔδει γὰρ ᾔδει σαφῶς, 134, 23 ἐχρῆν γὰρ ἐχρῆν et in loco adversarii, sed a Macario in dialogicam formam redacto (p. 129, 1): ἰδὲ γὰρ ἰδὲ τοῦ σοφοῦ τὴν ἀφήγησιν.

nihil relinquitur pagano usque ad verba ὅθεν, ὡς ἐγὼ κρίνω, πλάσμα τῆς ἱστορίας ταύτης ἡ ἀφήγησις, quae verba item opinor Macarii esse perorationis loco ea suis tautologiis adicientis non aliter quam eorum iterationem εἰ δ' οὐ πλάσμα τυγχάνει, τῆς δ' ἀληθείας συγγενές, γέλως ἱκανὸς τῶν χασμωμένων ἐστί, quae aperte prae se fert Macarii proprietates leges grammaticas iam neglegentis[1]) putideque semel negatum assertoria sententia repetentis, identidem nescio quorum audientium risus evocantis.

Sententia vero his annexa (φέρε γὰρ ὧδε τουτὶ σαφῶς ἐξετάσωμεν v. 15.) etsi manifesto est ex usitatis Macarii flosculis dialogicis, quibus novum argumentum introducere solet, tamen ipsum hoc argumentum extremo loco positum, undenam tot porci in terra Iudaeorum sues alere vetitorum et quomodo innumerabiles porci suffocati sint stagno, non mari profundo in illis regionibus exstante, omnino sapit philosophi consuetudinem minutiora talia et remotiora quodam studio et gaudio investigandi[2]) maximeque ad finem principalis argumentationis pusillam quandam difficultatem, sed inexspectatam et ridiculam fere Christianis obiectandi[3]).

---

1) Cf. εἰ δ' οὐ πλάσμα τυγχάνει, cui usui adversatur philosophi illud: εἰ γὰρ ὄντως . . . μὴ πλάσμα τυγχάνει (56, 10), contra apud Macarium, quamvis saepe legatur εἰ μή, tamen multa congruunt velut p. 5, 13 sq.; 39, 5; 71, 3 sq.; 189, 4 sqq. maxime autem exemplum perfectae negationum exaequationis, quod legimus p. 32, 17—19: ἀληθινὸν δὲ τοῦτο κἂν μόνος αὐτὸ λέγει τῶν τριῶν *οὐκ* εἰπόντων, ἐπεὶ καὶ . . . ἄλλος ἀληθεύει τῶν τριῶν *μὴ* λεγόντων.

2) Cf. quomodo p. 60 — ab ipsa quoque lacus Genezareth magnitudine argumento petito — tres vigilias cavilletur, quas discipuli Christi transmittendo consumpserint, vel p. 54 libros a Christo Mosi adsignatos, cum revera eos ab Esdra conscriptos esse inter peritos constet, vel al.

3) Ut afferam exemplum, p. 201 de dei deorumque natura sermone habito traducit subito Christianos ipsos quoque deo suo aedes maximas aedificantes vel p. 95, ubi de Christi carnem suam manducari iubentis immanitate tantummodo disseruit, id adnectit argumentum, quod unus ex evangelistis hoc mandatum Ioannes tradiderit, et. p. 17, 4 e Macarii responso videtur apparere Matthaeo eum id ludibrio vertisse, quod ipse non aliter quam idiotae puerum diceret lunaticum, cum fuisset a daemone correptus.

Pauca sane ex multis huius capitis verbis ipsi adversario reliquimus: rei expositionem, concisam latentis iniuriae demonstrationem, qua probata totam historiam falsam esse ostendatur, appendicis loco brevem cavillationem iocularem; sed quis est, qui infitietur haec multo maiorem vim habitura fuisse quam sermonem inflatum, quem ex his Macarius conformavit. —

Non semper tam bene adversarius ex involucris Macarianis exsecatur, sed multa sunt capita, quae similiter dilatavisse videtur Macarius redactor; inspicias, velim, l. II capp. XIV, XV; l. III capp. XV, XIX, XXX, XXXI; l. IV capp. I, II, XIX al. In quibus, ubi stili differentiis, quales adumbravimus[1]), suspicari coeperis, multa invenies, quae seu repugnent philosopho seu nimis congruant scriptori Christiano. Plane hic illic turbatur adversarii ratiocinatio[2]) vel proferuntur argumenta aliis eius sententiis contraria[3]) sive eius aetati parum apta[4]); quin etiam in eodem capite eadem res ab utroque

1) Ampullas sane rhetoricas sentias magis in legendo quam notari possunt, sed manifesto interdum singula verba abhorrent ab adversarii usu loquendi velut p. 23, 3 in philosophi certe argumentis legitur ἐμφανίζεται Πιλάτῳ, postea in sententia aliis quoque de causis suspecta (v. 14) apparet genus activum: εἰ γὰρ ἦν ἐμφανίσας sicut Macarius in responsione scribit: ἐμφανίζει γυναιξί (35, 21) nec non p. 84, 5: νυκτὸς αὐτοῖς ἐνεφάνισεν. — Item p. 204, 26 aoristi forma ἁμαρτῆσαι apud philosophum videtur suspecta, cum ipse (p. 100, 6) scribat ἁμαρτόντα et ἥμαρτον, Macarius vero saepius adhibeat eiusmodi formas verborum aoristo secundo addictorum, quales sunt ἀπωθήσατο (65, 1), συνάξας (86, 13), εὑρήσειεν (176, 30) al. multa.

2) Velut in l. II c. XV Macarius ineptissime, opinor, introduxit lectionem βληθήσεται κάτω (v. 6 et maxime 12), quam in responsione (p. 37, 3) ipse unam respicit, sed quae haud quaquam legi potuit in philosophi argumentis *extra* mundum neminem posse emitti ostendentis.

3) Cf., velim, quae de dei potentia diversis locis idem philosophus disserens introducitur, p. 159, 24 sqq., maxime p. 160, 2: οὐδὲ τὴν ἀρετήν, καθὸ δύναται, ποιεῖ κακίαν οὐδὲ τὴν κακίαν αὖθις ἀρετήν et p. 204, 21: οὐ γὰρ πάντα δύναται (sc. ὁ θεός) . . . οὐδὲ κακός ὁ θεός, εἰ καὶ θέλει, δύναται γενέσθαι ποτέ.

4) Videas, quae supra de barbarorum notitia commemoravimus p. 5; cui loco fortasse addere licet p. 24, 5, ubi non imperator Romanus unus dicitur regnare in mundo, sed cum eo multi, quod magis ei aetati congruere videtur, qua incursantes barbarorum po-

interdum, et a philosopho pagano et a Christiano scriptore multo posteriore, sua ratione describitur, velut p. 23, 7 sq. persecutiones fieri Christianorum ὡς ἀσεβῶν, quippe qui cultum publicum praestare recusent, dicit is, qui illis interest persecutionibus, contra, qui v. 16 eos cruciari narrat ὡς μύθους ἀλλοκότους ἀναπλάττοντας, nihil iam se ipsum de illis Christianorum persecutionibus compertum habere ostendit maximeque Juliani imperatoris stultitiam fidei Christianae traducentis meminisse. Neque in verbis, quae leguntur p. 127, 6 sqq.: τῶν ἀλόγων τὴν θείαν ἀποτέμνων πρόνοιαν et v. 8: δοκεῖ δέ μοι ταῦτα λέγων ἱκανῶς ἐνυβρίζειν τῇ σοφίᾳ τοῦ κτίσαντος ὡς οὐ προνοουμένῃ τῶν γενομένων πάλαι, difficile est discernere, utrum Christianarum homiliarum imitator inculcaverit. Itemque, quamvis posterioris aevi philosophi platonici saepe ad colorem Christiani sermonis accedant[1]), in nostri philosophi capitibus clare diversarum religionum usum ostendunt duo vitiorum catalogi, quorum prior exhibere videtur paganis vere existimata vitia (p. 58, 4 sq.: τῶν ἐν βίῳ πλημμελημάτων, φόνου, κλοπῆς, μοιχείας, φαρμακείας, ἀνοσίου ὅρκου, τυμβωρυχίας, ἱεροσύλου κακίας), alter vero (p. 198, 15: πορνείας, μοιχείας, μέθης, κλοπῆς, ἀρσενοκοιτίας, φαρμακείας καὶ μυρίων φαύλων καὶ μυσαρῶν πραγμάτων) Christiana omnino sapit exempla[2]).

Itaque etiam aliis adversarii locis, si quas Christianas deprehenderimus sententias vel notiones, Macario retractanti eas partes dabimus velut p. 102, 9 vocis προβάτων explicatio-

---

puli multi de facto ostendebant imperatorem non solum tenere mundum.

1) Cuius rei satis habeo nonnulla exempla afferre e Porphyrii scriptis: in ea libri π. ἀποχῆς ἐμψύχων parte, quam etiam Iacobus Bernays ipsi reliquit Porphyrio, p. 174, 24 et 27 ed. Nauck κόσμος dicitur νεὼς τοῦ πατρός, in epist. ad Marcell. p. 277, 2 eiusdem edit. vicissitudinibus huius vitae εἰς ἄσκησιν τοῦ προσδοκωμένου βίου uti iubet scriptor, ibid. p. 289, 18 virtutes religionis enumerantur cardinales πίστις, ἀλήθεια, ἔρως, ἐλπίς mire sane congruentes cum Paulinis (I. Corinth. 13, 13) πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη, sed proprie rursus differentes (ἔρως—ἀγάπη!).

2) Cf., quae de talibus vitiorum catalogis Dieterichius exposuit in libro qui inscr. „Nekyia“, p. 163 sqq.

nem ut Christianorum nominis ad perfectum iam statum provectorum eodemque loco memoriam imaginis a Paulo apostolo conformatae[1]), item similitudines Christianarum formularum velut παρὰ τοῦ μέλλοντος κρῖναι τοὺς ζῶντάς τε καὶ νεκρούς (198, 21), multos denique s. scripturae atque etiam Veteris Testamenti locos, qui non ab adversario, homine illo plurimae sane lectionis maximaeque Christianorum librorum scientiae, ad confirmandas suas sententias videntur conquisiti esse, sed a Macario in transcribendis illius argumentis haud scio an minus consulto quam e consuetudine Christiani sermonis ad amplificandum vel exornandum additi[2]).

Unum vero philosophi caput a nobis non in dubitationem vocari ne miratus sis, etiamsi id nisi ex intima historiarum Christianarum sive Iudaicarum scientia conscribi posse negaveris, l. III dico cap. 3, quo adversarius Mosis libros revera ab Esra conscriptos esse MCLXXX annis post illius mortem contendit ad infringendum illud: εἰ ἐπιστεύετε Μωσεῖ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί (Joann. 5, 46). Sed hanc de Esra s. librorum restitutore narrationem, quam nos inde ab Irenaeo apud Christianos viguisse videmus[3]), vix fieri potest, quin a pagano nostro rerum fortasse

1) Verba sunt mere Christiana: εἴ γε τὰ μὲν πρόβατά εἰσιν οἱ πιστοὶ εἰς τὸ τῆς τελειώσεω; προβάντες μυστήριον, τὰ δ' ἀρνία τῶν ἔτι κατηχουμένων ὑπάρχει τὸ ἄθροισμα ἁπαλῷ τέως τρεφόμενον διδασκαλίας γάλακτι. Cf. Pauli verba in epist. ad Corinth. I c. 3, 2: γάλα ὑμᾶς ἐπότισα καὶ οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἠδύνασθε, quam imaginem ne Origenes quidem scriptor Christianus recepit nisi indicata allegoria: δεομένους τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα (c. Cels. III 52 fin.).

2) Vid. 127, 10; 165, 1 sqq.; 167, 3 sq.; 203 sqq. Vix autem discernitur philosopho an retractanti Macario adsignanda sit mira duorum Pauli enuntiatorum coniunctio, quorum alterum de Petro dictum est in *prioris* epistolae ad Corinth. c. IX v. 15, alterum de quibuslibet Pauli adversariis Corinthiis legitur in *secundae* ad Cor. epist. c. XI v. 13, cum apud nostrum verbis εἶτα ἐπιλέγει artissime praecedenti de Petro iudicio adnectantur. Quod facilius intellegitur fieri potuisse in schedulis philosophi contumelias apostolorum invicem illatas exscribentis, nisi forte iam in aliquo s. scripturae exemplari priori loco alteram sententiam propter similitudinem appictam fuisse credideris.

3) Iren. ap. Euseb. h. eccl. V 8, 15; cf. etiam, quae de ceteris huius narrationis fontibus notavit Wendlandius in sua editione Aristeae p. 124 in appar. crit. — Rem autem non nimis ignotam

chronographicarum studiosissimo undecumque compertam esse iudicemus. Universa enim de Macarii retractatione mutanda esset sententia, si etiam hoc postea ab eo philosophi verbis illatum esse censeremus. Namque proprium hoc argumentum addidisset philosopho, cum adhuc eum tantummodo sermonem suo stilo accommodasse persuasum habeamus atque in minutioribus rebus quaedam inseruisse, quae propter speciem Christianam vel rationes chronologicas eius adversario abiudicare debeamus.

Habemus igitur in Macarii opere quaedam argumenta alicuius libri contra Christianos conscripti; non servatum habemus ordinem argumentorum aut ipsa semper verba, nec si quae temporum rationes in iis invenimus, nimis confidenter eas ad statuendam aetatem illius libri adhibendas esse existimamus Macarii redactoris ratione habita. Quodsi iam ad investigandum illum scriptorem, quo Macarius auctore usus est, nos convertimus, plane excidit ratio stili comparandi [1]), sed maxime opus est ea, quae de scriptorum, qui Christianam impugnaverunt religionem, moribus et ratione cogitandi vel disputandi comperimus, conferre cum ingenio eius, quem apud Macarium cognoverimus, philosophi, deinde inquirere, si argumenta ab hoc prolata a scriptoribus ecclesiasticis eius scriptoris nomini adsignentur, quem nostro maxime congruere intellexerimus.

---

fuisse inde fortasse intellegas, quod etiam a Beda Britanno illo rerum ecclesiasticarum scriptore eam narratam esse ut „communem maiorum famam" auctor est Abaelardius in responsione ad quaestionem 41. Heloisiae data. Quod testimonium debeo Chamberlanii libro „Die Grundlagen des XIX. Jahrh." ubi legitur p. 431, not. 2.

1) Quae via ideo quoque esset incertissima, quod ea aetate paganus ille quaerendus esset, qua quid suo sermone aliquis scripserit, quid de aliis paginatim sumpserit, nisi difficillima inquisitione diiudicari nequit. Velut Iacobus Bernays in eo libro, qui inscribitur „Theophrasts Schrift über Frömmigkeit" de Porphyrii opere περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων paucissima ipsi Porphyrio reliquit, e quibus vix huius scriptoris consuetudinem scribendi cognoscas. Neque igitur Carolus Kalbfleisch, cum librum ab ipso primum editum Porphyrio adsignaret (in dissertt. Academ. Berolin. 1895), comparando sermoni et verborum usui dedit operam nisi unica notula p. 15, 1.

Cap. III.

Frustra conferuntur cum philosopho Macariano scriptores, qui Christianos impugnaverunt, praeter Porphyrium.

Quisnam fuerit ille scriptor Graecus, etsi certis testimoniis demonstrari non posse vidimus, tamen nonnullis ambagibus cum quadam probabilitate videtur exponi posse Macarii philosophum, quem quanti etiam nostri aevi viri docti aestiment, supra commemoravi allatis Adolfi Harnack verbis, non fuisse alium nisi δυσμενέστατον, ut aiunt patres ecclesiastici, atque eruditissimum omnium, qui Christianos impugnaverunt; Porphyrium dico, qui in Sicilia[1]), ubi inde a Galieni a. XV., i. e. anno p. C. 269 se degisse aliquantum temporis ad mentem atra bile furentem sanandam ipse auctor est in vita Plotini[2]), quindecim κατὰ Χριστιανῶν libros conscripsit. — Idem iam saec. XVIII. Magnus Crusius, cuius dissertationes supra commemoravimus (p. 3, not. 1), paucis, quae tunc ei praesto erant, Macarianis fragmentis demonstrare sibi visus est; contendit Wagenmannus quoque in dissertatione p. 17 laudata, quem remotis quibusdam difficultatibus secuti sunt Neumannus l. l., Bardenhewerus[3]), Harnackius[4]), nuper cunctanter tamen etiam Zahnius[5]), qui prius in dissertatione p. 3, not. 4 laudata ali-

1) Cf. Euseb. h. e. VI 19.

2) Capp. 2, 4, 6, 11 vitae Plotini, quam Plotini operibus praefixerunt editores velut Creuzerus et Kirchhoffius. Conferas etiam Lucae Holstenii diligentissimam de vita et scriptis Porphyrii philosophi dissertationem Romae 1630 editam, quam ego Porphyrii editioni Cantabrigiensi (a. 1655) adnexam legi et secundum illius editionis paginas laudabo.

3) In Patrologia, p. 350.

4) Ut afferam nonnullos locos: „Gesch. d. altchristl. Lit.“ I 2 p. 873 et „Die Mission u. d. Ausbreitg. d. Christent.“ p. 352: „Dass der heidnische Philosoph in des Macarius Magnes „Apocriticus“ Porphyrius ist, ist mir nicht zweifelhaft.“ (Not. 2: „Offen zu lassen ist höchstens, dass ein Plagiat an Porph. begangen ist.“)

5) Gesch. d. neutest. Kanons II 815 Not. 1: „Möglich, dass es

quem scriptorem medii s. IV. fuisse maluerat. Contra Juliano, de quo Neumannus quoque initio cogitaverat, Moellerus l. l. favet, etiamsi non plane denegat Hieroclem, quem Duchesnius maxime commendaverat.

Nos autem, ut de his opinionibus decernamus, primum ostendemus neminem ex iis scriptoribus Graecis, qui qua ratione Christianam religionem impugnaverint certo compertum habemus, eundem esse, quem exscripsit Macarius.

E quibus *Celsi* unius refutatione Origenis totum fere opus servatum est, tantum saltem, ut Theodorus Keim id quadam ingenii alacritate et stili elegantia restituere conatus sit[1]). Sed ubi inspexeris argumenta, quae ille arte ac ratione ordinata profert, huius rationis apud Macarium nihil inveniri statim intelleges. — Quamquam Celsus, sicut omnibus posterioribus Christianorum adversariis gravissimorum criminum posuit quoddam fundamentum, ita cum Macariano philosopho satis multa habet communia, in generalibus maxime argumentis. Comparat enim Christum, ut noster cum Apollonio Tyanensi (p. 52; cf. etiam 163, 5), ita ille (Orig. c. Cels, III, 3 et 26.) cum Graecorum quibusdam miraculorum auctoribus, sed cum nonnullis aliis praeter unum Apollonium[2]); incusat apostolos ut πλάσματα ἀναγράφοντας (II, 15 et 26) ut noster passim in libro III et IV; de Christo quasi deo turpia negat enuntiari debuisse (VII, 12 sqq) aeque ac noster p. 202; vituperat Christianos, quod deum, qui οὐδὲν οἷός τε παράλογον οὐδὲ παρ' ἑαυτὸν ἐργάσασθαι, fingant φθείρειν τὰ ἔκγονα (VI, 58), sicut noster multis capitibus (p. 158 sqq.), traducit Christianorum amentiam, qua mundum pulcherrimum ab ipso deo periturum opinentur, quasi ταράττοντα τὴν λογικὴν φύσιν ἐτεκτήνατο τοῦ κό-

---

Porphyrios gewesen sei. — Die von Neumann angekündigte weitere Beweisführung ist abzuwarten."

1) „Celsus' Wahres Wort" übersetzt von Dr. Th. Keim, Zürich 1873. — Conferas, velim, enumerationem quoque satis amplam argumentorum Celsianorum, quam Paulus Koetschau librorum contra Celsum editioni Academicae Berolinensi praefixit p. LI sqq.

2) Is enim Celsi aetate nondum Philostrati laudatione celebratus erat; quare vim subito e conspectu evolandi ac statim alio loco comparandi Celsus Aristeae Proconnesio adtribuit.

σμου τὰ μέρη (158, 15); queritur (V 14), quod Christiani, si de resurrectione carnis [1]) nesciant tollere difficultates, καταφεύγουσιν εἰς ἀτοπωτάτην ἀναχώρησιν, ὅτι πᾶν δυνατὸν τῷ θεῷ, itemque noster (p. 204, 21); denique ex Christianis Christum peccatoribus missum esse pronuntiantibus (III, 62) indignabundus quaerit: τί κακὸν τὸ μὴ ἡμαρτηκέναι sicut noster (p. 168) notat illius dicti iniustitiam.

Tamen noster proprie semper rem convertit, cum (p. 168, 4. 5) quaerat: ἆρ' οὐκ ἔκαμον οἱ πατέρες ἡμῶν; — contra resurrectionem autem p. 204, 14 sqq. exemplum proferat artificiosissime excogitatum, sed iam apologetis priscis saepe refutatum [2]) ideoque fortasse a Macario ut puerile exprobratum (224, 5), hominis naufragi dico, cuius corpus nescio quot ferarum per alvos transmissum die resurrectionis qua tandem ratione ex omnibus suis particulis restituatur; Christianorum autem de interitu mundi sententiam suo more ex ipsorum libris sacris quadam ratione historica ita impugnat, ut ne expletis quidem conditionibus in s. scriptura dictis mundi consummationem et finem dierum accessisse ostendat, quaecumque vero de singulis Christi dictis factisque exprobrantur, ab eo non proponuntur ad ipsam Christi personam corripiendam, sed ad eius veritatem ab ineptis discipulorum fabulis vindicandam: huc enim mea opinione spectat, si evangelistas de ipsis rebus dissentientes (p. 20) vel unum asserentem ceterosque tacentes describit (p. 22) vel unoquoque fere capite priorum librorum aliquam s. scripturae historiam non sine aliquo pusillarum rerum studio, ut supra demonstravimus, ostendit esse ἀσαφῆ (25, 5) rationisque expertem (μηδὲν λόγου κατέχουσαν ἕρμαιον ibid.) vel ἀνακόλουθον (62, 1) i. e. in narrandis

---

1) De qua re multae iam controversiae fuerant paganis et apologetis Christianis; cf. Iustin apol. I 19 med: ποίαν γὰρ ἀξίαν θεοῦ δύναμιν λέγουσιν, nempe qui resurrectionem impugnant, vel Tertull. ap. 48 med: „Dubitabatur, credo, de Dei viribus. . .“

2) Cf. Tatian πρὸς Ἕλληνας c. 6, p. 7 ed. Schwartz („Text u. Untersuchgn.“ Bd IV): κἂν ἐν ποταμοῖς . . . ἐκδαπανηθῶ κἂν ὑπὸ θηρίων διασπασθῶ κτλ. vel Minuc. Fel., Octav. c. 11: „utrum ferae diripiant an maria consumant.“ — Similiter scribit Athenagor. de resurrect. c. 3 fin, 4 init, p. 51, 24 sqq. ed. Schwartz (l. l.) τὸ διατεθρυμμένον ⟨εἰς⟩ πλήθη ζῴων παντοδαπῶν et Tertull. de resurr. carn. c. 4.

singulis factis parum constanter eam respicientem imaginem, quam ipsi scriptores librorum sacrorum de Christo depingendam sibi proposuerint, qua re id quoque ostendatur illos, quae scribere vellent, ante constituisse, non simpliciter ac fideliter descripsisse, quae facta essent.

Quae cum ita sint, ne illas quidem res, quas cum Celso noster communes habet, ullo modo ordini sententiarum Celsianarum inseri posse non mirabere neque suspicari licet, nisi Macarius argumenta divellisset retractando divulsaque novo fortasse nexu ligasset, melius rem processuram esse. Adeo enim utriusque tota ratio distat mea sententia, tam multa praeterea leguntur apud utrumque, quae alteri tribui nequeunt, ut ne in eo quidem cum Duchesnio ego consentiam, quod comparata Celsi et nostri ratione pugnandi (p. 22) novum hostem insurrexisse ait, novas in bellum artes aut nova tela non intulisse. Ac ne pro certo quidem habuerim Macarii adversarium Celsi libros priusquam sua conscriberet, omnino inspexisse neque, quae pariter atque ille Christianis infert crimina, pro rei similitudine similia de suo protulisse. Praeter haec omnia temporum rationes, quas apud nostrum invenimus, nullo modo conveniunt Celso[1]), quem inter annos 177 et 180 suos libros conscripsisse constat[2]), namque p. 201, 5 Christianos dicit paganorum templa imitatos maximas aedes sacras exstruere, cum Celsus expressis verbis Christianis exprobret (VIII, 17), quod φεύγουσι βωμοὺς καὶ ἀγάλματα καὶ νεὼς ἱδρύσασθαι, et bis (p. 160, 6 sq. et 163, 4) 300 annos vel amplius ex prima religionis Christianae praedicatione peractos esse. Sed cum omnes fere viri docti hoc unum temporis indicium plurimi fecerint in Macarii adversario investigando, ego censeo neque

1) Quamquam Hadrianus Caesar, quo per occasionem ut monarchae exemplo utitur noster (199, 4) melius Celso quam posteriori congruit scriptori, sed hoc unum, cum contra cetera argumenta nihil valeat, nostro condonemus, cur ipsum hunc imperatorem sane in litteris versatissimum adduxerit — an ex aliquo auctore, ex quo fortasse mutuatus est monarchiae definitionem? — nos nescire confessi. Macarius in hoc argumento nihil certe mutavit, cum ipse in responsione (212, 8) paulum, opinor, Hadriani exemplo stupefactus scribat: Ἀδριανὸς ἤ καί τις κοσμοκρατόρων ἕτερος.

2) Vid. Koetschau p. L.

ad argumenta, quae faciunt contra Celsum, confirmanda id multum valere neque ad alium scriptorem, cui alia multa convenirent, excludendum; namque ex iis, quae de Macario retractatore cognovimus, talia temporum indicia in argumentis ex adversarii libro sumptis ab eo facillime mutata esse arbitrabimur, ut dialogum fictum suis temporibus admoveret, fortasse hic nil nis CCC pro CC substituendo, ut coniecit Neumannus (l. l.) nunc probante Zahnio (l. l.).

Proximi iam Christianis religionis oppugnatores, de quibus aliquid compertum habemus, *duo* sunt, *quos Lactantius dicit* (div. inst. V, 2 et 3), quo tempore Christianos Diocletianus et Galerius persequerentur, libris quoque iacentem et abiectam veritatem aggressos esse. Quorum alterum, qui, ut antistitem se philosophiae profitebatur, ita erat libidinosus et sumptuosus atque adulationibus principum gratiam, de prostratis vero Christianis facilem victoriam reportare sibi videbatur, sed utraque spe deceptus est, Baronius clarissimus ille rerum ecclesiasticarum scriptor, esse Porphyrium contenderat, quod cum temporum rationibus tum descriptione morum refutavit Holstenius[1]), Henricus autem Kellner Maximum Ephesium significari praestigiatorem magis quam philosophum suspicatus est[2]); alterum putant[3]) fuisse Hieroclem illum iudicem, cuius libellos duos aliqua ex parte refutavit Eusebius[4]).

Ac ne his quidem apte congruere plus trecentos illos annos paulum refert, sed argumenta adversarii Macariani convenient neutri. De priore autem nemo cogitavit, quoniam ineptus, vanus, ridiculus, qualem Lactantius illum describit[5]), ne fastidiosissimo quidem adversario Macarianus noster philosophus dici potest nec nostri argumenta scio qua ratione

1) L. l. p. 14 sq.

2) Egit de his scriptoribus in libro, cui est titulus: „Hellenismus und Christentum", edit. Coloniae 1866, p. 218 sqq.

3) Cf. Ad. Harnack, Gesch. d. altchristl. Lit. I 2 p. 873.

4) Πρὸς τοὺς ὑπὲρ Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως Ἱεροκλέους λόγους. Sic Harnackius e Photio constituit titulum (Gesch. d. altchristl. Lit. I 2 p. 564), aliter Mignius in Editione (Patr. Graec. t. 22, p. 795 sqq.); legitur etiam in Kayseri editione vitae Apollonii a Philostrato conscriptae.

5) p. 405, 8 edit. Academ. Vindobon. a Samuelo Brandt curatae.

putemus condita fuisse eius libris tribus, in quibus Lactantius auctor est[1]) eum id ut munus philosopho vere dignum suscepisse, ut Christianos caecos et fraudibus pellectos, quo resanescerent ac devitarent cruciamenta corporis, reduceret ad cultum deorum, eas maxime esse principum laudes ratus, quod cohibita superstitione neminem sinerent legitimis sacris vacare ideoque propitios deos rei publicae conciliarent.

Hieroclem vero eundem fuisse atque Macarii adversarium Duchesnius[2]) sibi videtur evincere e paucis, quae Lactantius de eius libris[3]) profert, argumentis; horum tamen nimis, Eusebii parum habuit rationem. In universum autem hic (c. Hierocl. c. I) illum praeter Christi et Apollonii comparationem, in qua quodammodo fortasse Philostratum habuit auctorem[4]), omnia οὐκ αὐτοῖς μονονουχὶ νοήμασιν ἀλλὰ καὶ ῥήμασι καὶ συλλαβαῖς impudenter ab aliis corripuisse iudicat ideoque potestate (δυνάμει) iam dudum eversum esse libris octo ab Origine contra Celsum conscriptis. Unde, tametsi postea Eusebius Originem ξυλλήβδην ait, ὅσα εἰς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν παντί τῳ εἴρηταί τε καὶ εἰρήσεται, occupasse atque discussisse, tamen vere etiam e Celsi libris Hieroclem multa mutuatum esse putare licet[5]), multa vero e Porphyrii quoque libris XXXV fere annis ante ipsius libros in lucem editis. Ad hunc autem, de quo

1) ibid. p. 404, 15 sqq.

2) l. l. p. 17 sqq.

3) Φιλαλήθεις λόγους πρὸς τοὺς Χριστιανούς inscripserat duos libros affectata quadam humilitate et benevolentia, ut videtur Lactantio p. 406, 4 et 410, 11.

4) Sed in dubium rursus vocatum est viris doctis, num sophista ille Philostratus et laudator Apollonii quasi Christum paganum philosophum Tyanensem commendare voluerit; cf. Goetschingii dissert. Lips. (1889) quae inscrib. „Apollonius von Tyana".

5) Et Theodorus Keim l. l. p. 258 attulit exemplum, quo quam egregie Celsum Hierocles adhibuerit atque emendaverit, bene illustratur; etenim cum ille Christum irrideat (Orig. c. Cels. II 12) quod discipulis ne eam quidem afflarit fidem et benevolentiam, quam latrones duci praestarent (ὡς πρὸς λῄσταρχον, ἵν' οὕτως ὀνομάσω), Hierocles inde eum introduxit praedonum verum ducem, cum dicat (Lact. p. 407, 12) ipsum Christum a Iudaeis fugatum collecta nongentorum hominum manu latrocinia fecisse.

primo ea traduntur[1]), referemus s. scripturae intimam notitiam, quam miratur Lactantius[2]), studiumque ostendendi eam totam esse contrariam, praeterea Petri et Pauli accusationem ut fallaciae seminatorum discipulorumque quasi rudium atque indoctorum correptionem, quae omnia paria inveniri apud Macarii philosophum censet Duchesnius. — At qua ratione Hierocles ille librorum sacrorum egerit censuram, exemplis cognosci nequit; quo autem loco apostolos traduxit, ipsa eius verba tradidit Eusebius (c. Hier. c. 2 ad fin.): τὰ μὲν Ἰησοῦ Πέτρος καὶ Παῦλος καί τινες τούτων παραπλήσιοι κεκόμπασιν, ἄνθρωποι ψεῦσται καὶ ἀπαίδευτοι καὶ γόητες· τὰ δὲ Ἀπολλωνίου Μαξιανὸς ὁ Αἰγιεὺς καὶ Δάμις ὁ φιλόσοφος ... Φιλόστρατος δ' ὁ Ἀθηναῖος κτλ. Et licet Lactantii verba maximeque artificium illud piscatorium hic plane omissum significent alios Hieroclis locos, quibus aliter de apostolis actum sit, tamen ea crimina, quae ab eo apostolis illata esse monet Lactantius, haud ita consentiunt cum Macariano philosopho; is enim piscatores non irridet — at loco nobis non servato hoc accidere potuit —, evangelistas autem etsi ἐφευρέτας, οὐχ ἵστορας appellat (20, 2) atque, quam effingendam sibi proposuerint imaginem Christi, eam saepe evadere ἀνακόλουθον demonstrare studet vel ἀσαφῆ, tamen non plane rudes et indoctos existimaverit, quippe quos uno certe loco aliquid omisisse opinetur ἅτε δοκιμάσαντας οὐκ ἀστεῖον τὸ ῥῆμα (95, 12); Petrum vero et Paulum multis libri III capitibus maxime *morum* infirmitatis accusat id miratus, quod tales homines rerum Christianarum facti sint columnae (ut Tertulliani[3]) verbo utar). Gravissimo autem eo Duchesnius utitur argumento, quod apud nostrum Apollonius cum Christo comparetur subitusque eius de iudicio discessus *describatur* (p. 52), quod aeque Lactantius legerit apud Hieroclem („ut describis" p. 408, 4). — At paucioribusne verbis quam apud nostrum res absolvi potuit? Praetereundo enim nec tamen ita, ut legentibus res prius accuratius commemorata in mentem revocari videatur, exemplum Apollonii inducit, quod argumentum ipsum non

1) Testimonia videas infra, ubi de Porphyrio faciemus verba.
2) p. 406, 7 sqq.
3) Adv. Marcion. I 20.

flagitabat, contra Hierocles omni studio conscripsit utriusque παράθεσίν τε καὶ σύγκρισιν (Eus. c. Hier. c. 1 fin.), cui totum librum opponere Eusebius opus esse decrevit, ac prioribus enumeratis miraculorum auctoribus ab initio exorsus *stupenda* Christi et Apollonii *facta recensuit omnia* (Eus. ib. c. 2). Ubi vero apud nostrum exstitisse putaveris, quae de Apollonio quasi deo honorato et de eius simulacro commemorasse Hieroclem auctor est Lactantius (p. 408, 22 sqq) vel quae eum disputasse dicit (p. 409, 7 sqq) de Christianorum et paganorum discrimine, quod hi mirabilibus factis non statim fidem divinitatis adiungerent, illi ob exigua portenta deum crederent? quae copiosae tantummodo Christi et Apollonii comparationi, qualem Eusebius apud Hieroclem legit, adnecti potuerunt. Deinde Hierocles miracula curat divina quadam atque arcana sapientia perfecta, noster illo loco hominis, qui philosophia dignum se praestiterit, animum atque mores celebrat, sicut alio loco (p. 163, 5) Apollonium ἄνδρα φιλοσοφίᾳ πάσῃ κεκοσμημένον fortasse a Christianis ait dici posse unum e falsis doctoribus, quos suo nomine venturos esse Christus praedixerit. His iam satis demonstrari opinor alium fuisse Hieroclis librum atque Macarii fontem; sed ceteris etiam respondendum Duchesnii argumentis minoribus.

Nam cum Lactantius Hieroclem „in epilogo" laudes summi dei prosecutum „ad ultimum" ipsum suam evertisse affirmet religionem ceteris dis, quos crederet, uni subiectis atque mancipatis, noster, etsi eandem posteriorum Platonicorum theologiam profitetur (maxime p. 199 et 200), certe non in epilogo solum hoc affert neque, ut videtur Duchesnio, „in fine libri", sed in fine partis nobis servatae, quoniam libri quinti fragmentum a Turriano nobis servatum esse contra Duchesnium supra ostendimus p. 10 not. 4. — Quod autem Macarii adversarium aperte prodere ait eo se tempore scripsisse, quo a pluribus res publica Romana regebatur, testimonio ei est locus interpretatione incertus, quem an potius Macario retractatori adsignemus dubitaverim[1]). Quod vero idem Duchesnius eo loco, quo ad illustrandam divinam monarchiam Hadrianum

1) Videas huius dissertationis p. 24 not. 4.

Augustum, non sui aevi imperatorem nominat (p. 199), id non ante divisum in plures imperium i. e. non aute annum 292 scriptum esse colligit, altius profecto hoc repetitum videtur neque, cur ipse Hadrianus, non alius imperator aliqua re insignior vel primus ille Caesar Augustus delectus sit, eo magis explicatur. Ergo missam faciamus Duchesnii hanc de Hierocle Macarii auctore sententiam, sicut Sossianus ille Hierocles, praefectus provinciae Phoeniciae Libanesiae, quem in Palmyrena inscriptione aetatis Diocletiani investigavit, ut facilius illum Hieroclem cum Macario in regione Euphratensi a se collocato committeret, ab initio vix cuiquam inter viros doctos fidem fecit[1]).

Restat *Julianus imperator*, in cuius libris et trecenti illi post Christum et Paulum anni perapte legi videbantur viris doctis nec non quaedam similitudines occurrere capitum philosophi Macariani[2]). Sed omnia profligavit Neumannus in praefatione editionis Juliani reliquiarum, cum locos Julianeos apud alios scriptores servatos inveniret et quibusdam Macariani philosophi capitibus opponeret, in quibus — ut ipsius verba afferam — „de iisdem rebus agitur, sed ita, ut aut proferatur sententia, quae philosopho repugnet, aut eadem sententia aliis verbis sit consignata atque eo modo, ut non idem esse Juliani atque philosophi fragmentum plane appareat neque potuisse Julianum alio loco de eodem scripturae versu ita agere, ut inde depromptum esse videretur philosophi Macariani fragmentum"[3]). Quae praeterea attulit Neumannus, prae his minoris sunt momenti, nempe quod apud Macarii adversarium legitur ἐν Ἰουδαίᾳ γῇ (57, 6) et Χριστιανοί (201, 5), cum Julianus semper appellet τὴν Ἰουδαίαν vel γῆν Ἰουδαίαν et Γαλιλαίους et quod innumeri Christiani in persecutionibus damnati et caesi (p. 162, 6 sq. et p. 23), quos altero saltem loco apparet scriptorem ipsum vidisse, Juliani aetati non quadrant.

1) Cf. Moellerum l. l. p. 524.

2) Quas similitudines exposuit Moellerus l. l. p. 525.

3) Gravissimi autem loci sunt Mac. p. 54, quocum conferas Iulian. ap. Cyrill. 168 A et Mac. p. 58, 15 sqq., ubi de Mt. 19, 24 agitur, cum Iulianus de parallelo loco (Lt. 12, 33) prorsus aliter disputet apud Photium (Quaest. Amphil. 100, vel 101 edit. Hergenroether).

Nihili vero sunt, quae pro Juliano attulisse sibi videtur: namque illud ὦ μῦθος, ὦ λῆρος, ὦ γέλως ὄντως πλατύς (55, 11), quocum confert Julian. ap. Cyrill. 224 D: ὦ μέγεθος ἀρετῆς, ὦ σοφίας πλοῦτος, vel φεῦ τῆς ἀπαιδευσίας, φεῦ τῆς κωμικῆς πλάνης (55, 16), quae „optime etiam exclamari potuerunt a Juliano", vel barbarorum commemorationem (56, 20 sqq.) non ipsius philosophi, sed Macarii videri esse supra ostendi [1]). Quod autem Julianus initio operis (p. 39 A Cyr.) pollicetur se demonstraturum esse, ὅτι τῶν Γαλιλαίων ἡ σκευωρία πλάσμα ἐστίν, quocum Neumannus comparat nostri illud εἰ μὴ πλάσμα τυγχάνει, ὡς ἡμεῖς σαφηνίζομεν (56, 10) haudquaquam id est Juliani proprium, et ὕθλος καπηλικός (55, 2) sollemne est verbum superbiae philosophorum vel hominum litteratorum, quod repperi, ut exempla afferam, in Libanii epist. XVIII [2]) et apud Porphyrium de Origenis ad Christianam religionem defectione querentem [3]). Denique inde, quod in medio indice Macarii libro III in codice Atheniensi praefixo legitur: ἑτέρας ὑποθέσεως ἀρχὴ ἐκ τῶν πράξεων καὶ τοῦ ἀποστόλου, Julianum autem libro II de evangeliorum, libro III de apostoli, ut aiunt veteres patres, locis egisse existimat Neumannus, coniecturam fortasse facere censet licere de his Juliani libris perditis apud Macarium latentibus. Sed iam supra commemoravi (p. 10) mea opinione indices illos codicis Atheniensis nullius esse pretii ut posteriorum additamenta ac ne quarto quidem in libro ad finem iam de certis s. scripturae locis agi — quid igitur de quinto suspicemur deperdito?

Neminem igitur eorum, de quibus nonnulla comperta habemus, fidei Christianae oppugnatorum, Macarius adversarium sibi sumpsisse videtur praeter Porphyrium: proinde inquiramus, utrum hunc ipsum statuamus Macarii auctorem an aliquem scriptorem Graecum, de quo nihil nobis sit traditum.

---

1) Cf. p. 20 sq.

2) Cf. et not. 18 huic epistulae additam in editione Ioann. Christophor. Wolfii (Amstelod. 1738).

3) In III. libro κατὰ Χριστιανῶν conscripto Eusebius in hist. eccl. VI 19. 7 (p. 263 Dind.) ait eum de Origene dixisse: ἑαυτόν τε καὶ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἕξιν ἐκαπήλευσεν.

Cap. IV.

Porphyrii ingenium mores placita comparantur cum Macarii philosopho; congeruntur aliae rationes, quae in Porphyrium quadrent.

Porphyrii κατὰ Χριστιανῶν libros iussu alterius Theodosii combustos esse atque etiam cum refutationibus Methodii, Eusebii, Apollinarii, Philostorgii deperisse constat[1]), sicut de ceteris quoque scriptis philosophi ob infestissimum fortasse, quod prae se ferebant, nomen non ita multa nobis servata esse dolemus; sed et de eius ingenio praeter ea, quae ex eius reliquiis, maxime e vita Plotini, effici possunt, multa narrarunt scriptores ecclesiastici et nonnulla ex illius libris contra Christianos conscriptis servarunt fragmenta, quae disposuit L. Holstenius l. l.[2]).

Videamus igitur, num, quae apud Macarii adversarium legimus, in universum respondeant ingenio, moribus, placitis illius Porphyrii, qualem fuisse eum nobis effingendum est, cum libros τάτὰ Χριστιανῶν componeret. Namque Porphyrius ea est ingenii natura, ut aut miras opinionum discrepantias relinquamus in eo, qui Plotini spiritu inflatus ad purissimas de divina natura sententias maximeque ingenuum sese elevarit studium animi non morum modo integritate, sed sincera pietate

---

1) Cf. Harnack, Gesch. d. altchristl. Lit. I 2 p. 873, ubi miror illius operis titulum adhuc legi π. τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας κατὰ Χριστιανῶν λόγοι ιε', quo duorum operum nescio qui factum sit, ut falso confundantur inscriptiones, siquidem et Eusebius, quibus locis Porphyrium oraculorum interpretem monet eundem esse, qui contra Christianos scripserit (Praep. ev. p. 189 b et 234 e) manifesto duo opera diversa significat, neque apud Suidam ἡ ἐκ λογίων φιλοσοφία praecedit libros κατὰ Χριστιανῶν, sed plane omittitur in catalogo scriptorum Porphyrianorum. Titulum autem iam restituit Holstenius, fragmenta philosophiae ex oraculis hauriendae commentatus est Gustavus Wolff (Berolin. 1855).

2) Quam vero Harnackius loco modo laudato commemorat recentiorem horum fragmentorum collectionem a Lardnero confectam, non contigit, ut mihi compararem.

ad divinam sortem vindicandi atque idem theurgiae omnibusque artibus et fabulis religionis publicae operam dederit oraculis collectis ac simulacris nominibusque deorum popularium explicatis, iam vero epistula ad Anebonem data omnia in dubitationem vocarit, aut — sicut Wilamowitzius monuit[1]) aetatis contortae atque difficilis hominum difficillimorum rationem habendam esse — pie studeamus intellegere tale ingenium.

Iam cognoscemus hominem summo ingenio praeditum ac vere religiosum, qui initio viro κριτικωτάτῳ addictus Longino totum litterarum Graecarum emensus est ambitum[2]) et iam tum non extremo loco naturam et voluntatem deorum ex eorum oraculis, cultus vim ac simulacrorum ex tradita theologia Stoicorum[3]) comperire studuit; deinde Romae cum Plotino congressus pro suo vigore ingenii diu novis sententiis reluctatur[4]) eoque fortasse tempore suas de summa theologia dubitationes sapientiae Aegyptiacae diiudicandas tradit epistula ad Anebonem missa; tum Plotini devinctus videtur philosophia neque tamen abstinet propriis sententiis cum pertinacia[5]) obiectandis, quo tempore, quae prius in litteris elaboraverat, ea cum Plotinianis coniungere studet allegoria in Homeri interpretationem illata et oraculis Chaldaicis, quae dicuntur, in theologiam[6]);

1) Ztschr. f. neutestamentl. Wissensch. I (1900) p. 105.

2) Videas innumerabilia eius opera grammatica, rhetorica, musica, historica apud Holstenium l. l. c. VII, p. 32 sqq. et Wolffium l. l. p. 14 sqq.

3) Hoc enim loco περὶ ἀγαλμάτων librum inter Porphyriana scripta colloco, ex quo Boertzlerus hoc opusculum tractavit dissertatione Erlangensi anni 1903, quae inscribitur: „Porphyrius' Schrift v. d. Götterbildern".

4) Cf. vit. Plotin. c. 18.

5) Cf. vit. Plotin. c. 13: τριῶν γοῦν ἡμερῶν ἐμοῦ Πορφυρίου ἐρωτήσαντος, πῶς ἡ ψυχὴ παρέσται τῷ σώματι, παρέτεινεν ἀποδεικνὺς κτλ. — Inspicias, quaeso, pulcherrimam quoque scholae Plotinianae descriptionem, quam Carolus Schmidt dedit in dissertatione, cui est titulus: „Plotins Stellung zum Gnostizismus und kirchlichen Christentum" (Texte u. Untersuchgn. z. altchristl. Lit. XX, N. F. V (1901), maxime p. 26 sqq.).

6) Est enim Porphyrii liber: εἰς τὰ [τοῦ?] Ἰουλιανοῦ τοῦ Χαλδαίου — namque e Suidae verbis εἰς τὰ τοῦ Ἰουλιανοῦ τοῦ Χαλδαίου φιλοσόφου ἱστορίαν ἐν βιβλίοις δ' duorum operum titulos eliciemus, φιλόσοφον ἱστορίαν ἐν βιβλίοις δ' et illos in Iulianum commentarios, quibus

denique studio veritatis et purioris religionis adductus magis magisque Plotini magistri sapientiam amplectitur, sed quamvis abiecerit deos Homericos et cultus publici numina in systema angelorum et daemonum bonorum sive malorum redegerit, tamen, quaecumque ex patria religione servari poterant, grandi sane recipit de rerum natura sententia sua, quae re vera tam prope afuit a Christiana, quantopere ecclesiae patres eum perhorrescunt ut hostem dei, veritatis inimicum. — Hi sane ad iudicandum hominem etiam illas, quas diximus, discrepantias sententiarum protraxerunt inconstantiamque conclamarunt[1]), sed ne Jacobus Bernays quidem operam dedit[2]), ut philosophiae amorem strenuumque studium litterarum conciliaret cum homine in religione ac philosophia praestigiatore, ut ait: „religiös-philosophischer Taschenspieler", contra, quae Porphyrius ipse de sua in oraculis edendis fide profitetur (Eus. praep. ev. IV, 7, Wolff p. 109), hierophanticae ei vertit impudentiae.

Nostra demum aetate aliam rationem atque iudicium ad virum illum suo quisque modo afferre coeperunt Wolffius (l. l. Cap. II.), Boertzlerus (l. l.) maximeque Wendlandius[3]), Harnackius, Wilamowitzius. Nos autem, cum iustitiam exerceamus adversus eum, non ad finem eum reddemus Christianum, ut voluerunt quidam in posterioribus eius libris velut in epistula ad Marcellam uxorem data legere Christiana[4]) etiam in sen-

alium fortasse titulum servavit περὶ καθόδου (scil. ψυχῆς) Aeneas Gazaeus in Theophrasto suo (p. 51 Boiss.). Sic enim a Wendlandio magistro emendari scio, quae leguntur ἐπιγράφει δὲ καθ' ὅλου τὸ βιβλίον, ὃ εἰς μέσον προάγει τῶν Χαλδαίων τὰ λόγια, recte, opinor, etsi ab emendatione sese continere satius esse iudicat Guil. Kroll, De oraculis Chaldaicis (Breslauer Philolog. Abhdlgn. VII (1894) p. 6.

1) Vid. Augustin. de civ. Dei X 9 ceterisque in eius libri capp.

2) Gesamm. Abhdlgn. II p. 286, quo loco indicat Wolfii libellum.

3) In disputatione, cui est titulus „Christentum und Hellenismus" edita in „Neue Jahrb. f. d. klass. Altertum" 1902, p. 12.

4) Sicut voluit Kleffnerus in libello „Porphyrius der Neuplatoniker und Christenfeind" (Paderborn 1896), sed conferas, velim, Wendlandium, qui acriter eius egit censuram in „Berl. philolog. Wochenschr." 1898, nr. 37, p. 1128—31. — Nec vero nobis quicquam ex eo libro petendum fuit, cur pluribus eum commemoraremus verbis.

tentiis dudum ad fontes multo priores relatis, aeque ac patrum explodemus fabulas Porphyrium quondam Christianum plagis Caesareae acceptis in acerrimum fidelium oppugnatorem conversum esse narrantium[1]). Certamen diversarum statuemus religionum — namque et Platonicorum pantheismus erat religio — certamen vero a Porphyrio studio veritatis et doctrinae artibus susceptum.

Qualem autem, ut ad quaestionem nostram redeamus, exspectabimus Porphyrium, cum contra Christianos libros conscriberet? an similem adversarii Macariani?

Doctissimus erat Porphyrius atque etiam in remotioribus rebus versatissimus, siquidem Gnosticorum quoque, qui in Plotini schola erant, plurimas se nosse litteras ostendit vit. Plot. cap. 16, ut recte monet Schmidtius (l. l. p. 24); arma autem in certamen ferebat artem criticam et rationem historicam, quam apud Longinum exercuerat interpretationibus et studiis chronologicis, quae — et in his magistrum secutus — eodem fere tempore, quo contra Christianos scripsit, condidit quadam temporum discriptione ab Ilio capto usque ad Claudii, scil. Gothici (a. 268—270) dominationem pertinente[2]). Ad quem laborem, opinor, incitatus est computationibus, quas eum attulisse verisimile est in libro contra Christianos IV, in quo Sanchuniathonem, scriptorem Phoenicem, Semirami Assyriorum reginae et fere rebus Iliacis aequalem Mosis libris ab eo opponi auctor est Eusebius in praep. ev. 1, 9, p. 31 Vig.[3]), et in libro XII, quo congesta multiplici Graecorum historia egregie osten-

---

1) Velut Socrates in hist. eccl. III 23; Augustini autem verba (de civ. dei X 28, p. 446 Dombart: „si vere ac fideliter amares — scil. virtutem et sapientiam —, Christum dei virtutem et dei sapientiam cognovisses nec ab eius saluberrima humilitate tumore inflatus vanae scientiae resiluisses“) cum Zellero (Philos. d. Griech. III 2² p. 573 not.) non factum spectare existimo, sed numquam recipiendae Christianae fidei ei in mentem venisse significare, cum et in sequenti eiusdem libri capite (p. 449, 1) hisce alloquatur Porphyrium: „sed huic veritati ut possetis acquiescere, humilitate opus erat, quae cervici vestrae difficillime persuaderi potest.“

2) Vid. Wolff. l. l. p. 34.

3) His enim Vigeri paginis recentissima quoque Giffordii editio „praeparationis evangeliae“ Oxoniana disposita est.

dit librum Danielis compositum esse a quodam, qui temporibus Antiochi Epiphanis fuisset in Iudaea, et non tam ventura praedixisse Danielem quam illum narrasse praeterita, ut ait Hieronymus in prooemio commentar. in Daniel.[1]).

Qua vero Porphyrius ratione processerit ad oppugnandos aliquos adversarios, bene illustratur vit. Plotini cap. 16., quo Gnosticis se a Plotino iussum refellere narrat librum, quo illi gloriati sint quasi Zoroastri ipsius apocalypsi, multis argumentis evicisse ὅπως νόθον τε καὶ νέον πεπλασμένον τε ὑπὸ τῶν τὴν αἵρεσιν συστησαμένων εἰς δόξαν τοῦ εἶναι τοῦ παλαιοῦ Ζωροάστρου τὰ δόγματα, ἃ αὐτοὶ εἵλοντο πρεσβεύειν. Simili autem ratione eum adversus Christianos usum esse putabimus et ex paucis, quae Holstenius (l. l. p. 59 sqq.) attulit, testimoniis cognosci potest eum infringendae autoritati s. scripturae maxime operam dedisse[2]), cum obtrectaret moribus apostolorum, qui eam conscripsissent, ac multifariam ostenderet libros sacros id non praestare, quod nuntiarent; nam quod de Danielis libro eum ostendisse comperimus, id eum in libris, de quibus nihil nobis traditum est, V—XI similiter de aliis etiam Novi Testamenti scriptis demonstrare conatum esse procul dubio est. Certe Theodoretus Cyrenus plurimum eum temporis iis libris legendis contrivisse auctor est[3]).

Omnia apud Macarianum philosophum reperimus. Cognovit adversariorum vitam, mores, historias, intimas denique res velut episcoporum et presbyterorum electionem (p. 96, 4 sqq.; 97, 6), virgines castitate gloriantes (131, 7 sqq.), mulieres liberalitate ad egestatem ductas (58, 17), Paulo Petroque supplicium Romae illatum[4]) (162, 3), Iudaeorum vel Christianorum de Esra Veteris Testamenti restitutore narrationes (p. 54)[5]);

---

1) In Mign. patrolog. Lat. tom. 25, p. 494.

2) Cf. Euseb. hist. eccl. VI 19 2: συγγράμματα καθ' ἡμῶν ἐνστησάμενος καὶ δι' αὐτῶν τὰς θείας γραφὰς διαβάλλειν πεπειραμένος.

3) Graec. affect. curat. VII p. 893 Schulze (ed. Hal. 1772): τούτοις (scil. libris sacris) ἀκριβῶς ἐντυχὼν ὁ Πορφύριος· μάλα γὰρ αὐτοῖς ἐνδιέτριψε τὴν καθ' ἡμῶν τορεύων γραφὴν κτλ.

4) Neque enim, cum solum hoc sit eius capitis argumentum, ipsi adversario abiudicandum est, neque ulla datur causa, cur Macario id adsignemus.

5) De hoc capite supra diximus p. 26 sq.

iam occasione data vel vix data incumbit temporum rationibus eruendis ac Mosem 1180 annis ante Esram mortuum esse asserit (ibid.). Perlegit Christianorum libros, inter quos et Petri, quam dicunt, apocalypsin, et, quamvis multi scripturae loci eius capitibus a Macario quasi ornamenta additi esse videantur[1]), plurima ipse congessit, quibus ostenderet evangelistas inter se contrarios esse vel propositum suum non assequi neque recte describere Christi naturam, ut supra philosophi rationem depingere conati sumus (p. 30). Et si nimis morosum eum deprehendimus iudicem, quippe qui minutiores verborum agitet ineptias velut illud ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου βληθήσεται ἔξω (p. 24) vel illud ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου (p. 25) vel lacum Genezareth mare dictum (p. 57, 18 et 60, 7 sqq.) vel similia, sive scripturae verba a se allata vel uno verbo addito maligne immutet, velut p. 62, 8: ἐπεὶ μηδὲ μᾶλλον ἐπράθη ... τὸ μύρον καὶ τοῖς πτωχοῖς ἐδόθη addit πεινῶσι vel similia, nonne memineris Porphyrium in Sicilia versatum esse ad quandam animi aegritudinem curandam, cum opus suum componeret?

Sed quamquam, hoc si in minoribus rebus apud Porphyrium hic illic sentiamus, haud mirati simus, in universum tamen, ut diximus, hominem exspectabimus, non qui amore contentionum exagitet adversarios, sed humanitatis studio omnia

---

1) Cf. nostrae dissertationis p. 25 sq. — Inter illos autem locos a Macario superadditos nunc, quo magis Platonicum Porphyrium philosophi capita scripsisse nobis persuademus, eo magis omnia videntur habenda esse, quae p. 165, 9 sqq. leguntur. Mira sane apud paganum esset multitudo sententiarum ex omnibus partibus s. scripturae correptarum, introductarum vero quasi a Christiano verbis ὑπὸ τοῦ υἱοῦ ὡμολόγηται (v. 10), Ἰωάννης ὁ βαπτιστής (v. 11) καὶ οἱ προφῆται nullo explicationis verbo addito; magis etiam miranda interpretatio quaedam, quam vix homo non Christianus proferre potuit, cum ex verbis πάτερ κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς coniunctis verbis πάτερ et τοῦ οὐρανοῦ Deum caeli patrem dictum esse nemo, opinor, effecisset, nisi cum Christianis et Iudaeis e versione LXX interpretum voce κυρίου ut dei nomine proprio uti consuesset (κύριος = אדני = יהוה); denique philosophus Neoplatonicus vix deo supremo intelligibili quaesivisset *locum* quasi καθέδραν (v. 16), sed Macarius p. 188, 30 sqq. maiore studio hoc et κατὰ ῥητὸν et κατ' ἀλληγορίαν vult explicare, quam ut non ipsum in quaestione adversarii ansam sibi addidisse suspicer.

afferat argumenta, ut Christianos de erroribus eorum ad suas sententias veriores reducat, ac caedium fastidiosus reductos a suppliciis liberare studeat. Namque ut gravissimis Christianorum persecutionibus per annos 251—260 institutis[1]) aequalis fuit, ita a Plotino magistro, quem Schmidtius loco in not. 1. laudato opinatur imperatoris Gallieni eiusque uxoris erga se benevolentia usum esse, ut ei persuaderet, ne vi et suppliciis Christianos persequeretur, certe didicit vim et iniuriam abhorrere nec nisi telis ingenii atque doctrinae pugnare ad errorem vagantibus ostendendum. Ipse autem Plotinus Christianos, quorum πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι, αἱρετικοὶ δὲ ἐκ τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας ἀνηγμένοι scholis eius intererant, ut ait Porphyrius in vit. Plot. c. 16., quamvis arroganter philosophiae principibus maledicerent atque ipse acriter opinionibus eorum obloqui cogeretur, φίλους tamen appellarat, quibus αἰδώς τις conveniret, in ipso, quo eos impugnabat, libello πρὸς τοὺς Γνωστικούς[2]) et in multis operum suorum, ut Schmidtius sua dissertatione demonstravit, crescente fortasse verborum acerbitate, sed rationis non odii argumenta ad eos convertebat. Gnostici illi erant, qui ut asserebant mundum a malo quodam creatore ortum totum esse malum miserumque ac periturum[3]), maxime adversabantur illis Platonicis, quibus[4]) hic mundus erat εἰκὼν τοῦ νοητοῦ et quamvis ὕστατος παῖς tamen ex ipsa divina essentia procedebat semper illuminante materiam ac formante ad suam aeternam pulchritudinem[5]). — Sed etiam in ceterorum Christianorum opiniones Porphyrius in illis cum Gnosticis certaminibus certe inquisiverat, et licet eos Gnosticorum illam amentiam repudiare intellegeret, tamen aliis eos implicatos videbat opinionibus, quas item errores diceret. At cum eas

1) Breviter eas exposuit Carolus Schmidt l. l. p. 12.

2) Cf. Plotin. ennead. II 9, c. 10 et Schmidt l. l. p. 32 sq.

3) Πρὸς τοὺς κακὸν τὸν δημιουργὸν τοῦ κόσμου καὶ τὸν κόσμον κακὸν εἶναι λέγοντας alter est titulus libelli Plotiniani (cf. Porph. vit. Plot. c. 24, p. XL Kirchh.).

4) Cf. etiam Zeller, Philos. d. Griech. III 2² p. 499 sqq.

5) Cf. Porphyrii sententiam, quae est 30. τῶν ἀφορμῶν πρὸς τὰ νοητά: ἀνῆκται (τὸ κοσμικὸν σῶμα) πρὸς τὴν ψυχὴν νοερὰν οὖσαν... ἡ δὲ ψυχὴ αὐτοῦ πρὸς τὸν νοῦν· νοῦς δὲ πρὸς τὸ πρῶτον· διήκει τοίνυν ἅπαντα ἐπὶ τοῦτο ... καθὸ δύναται ἕκαστον.

opiniones iam funditus sibi refutandas proposuisset, non Plotini magistri deseruisse exemplum arbitrandus est, sed αἰδώ servasse, si quid venerabile ei occurrebat in rebus Christianis. Ea vero iam dudum ei, cum apud Longinum oracula deorum colligeret, ipsius Christi persona visa erat, ut, quamvis praeter opinionem quibusdam se dicturum intellexisset, eum secundum testimonium deorum piissimum iudicaret et immortalem factum (Euseb. dem. ev. VII, 1.)[1]), Christianos vero, ut eum perrexisse tradit Augustinus (de civ. dei XIX, 23 p. 394, 30 sq. Domb) „pollutos et contaminatos et errore implicatos". Talia autem saepius eum ex oraculis de Christo et Christianis protulisse iudicia auctores sunt Eusebius et Augustinus, immo passionem Christi suo more ita explicare conatum esse, ut corpus semper tormentis oppositum diceret, quo celerius anima piorum caelesti sedi insideret; Christo autem, ut rursus Augustinus (ibid. p. 395, 14 sqq.) tradidit unus, fatum fuisse aiebat, ut „eis, quibus non datum esset nosse deum nec dona a dis accipere", i. e. Christianis, „fataliter daret errore implicari".

Quid, si haec integra reperimus apud Macarii adversarium? Nosse eum ac vidisse Christianorum persecutiones mihi apparere videtur ex verbis eius, quibus Christum accusat (p. 23), quod non senatui Romano se manifestarit, ἵνα τὰ κατ' αὐτὸν θαυμάσαντες μὴ δόγματι κοινῷ καταψηφίσωνται θάνατον ὡς ἀσεβῶν τῶν πειθομένων αὐτῷ [2]) et p. 162, 6 sqq.: καὶ ἄλλοι δέ, inquit, μύριοι τούτοις — scil. Paulo Petroque — ὁμόδοξοι οἱ μὲν ἐκαύθησαν, οἱ δ'ἄλλοι[3]) τιμωρίαν ἢ λώβην δεξάμενοι διεφθάρησαν. Unde, si posteriorem spectes locum, fortasse etiam effeceris in praesens cessisse persecutiones, cum tamen e priore appareat semper eas redintegrari posse, quod optime quadrat temporibus Porphyriani libri. Diocletiana autem aetate prior fuisse videtur, qui illa scripsit, quia senatum aliquid valere ostendit ad decernendum ut de omnibus rebus sacris ita de

1) In Mignii Patrolog. Graec. est tom. 22 p. 236, quae demonstrationis evangelicae una mihi praesto fuit editio, sed totos locos bene invenies expositos apud Wolffium l. l. p. 180 sqq.

2) Quem locum philosopho supra servavimus (p. 25) cum repetitionem (v. 14 sqq.) Macario adsignaremus.

3) Fortasse malueris legi: ἄλλην.

Christianorum religione, id quod item legimus apud Tertullianum (apol. 5 et 13) et Origenem (c. Cels. IV, 32). Contra Decianae iam certe persecutioni, qua Christiani, si imperatoris genio sacrificare recusabant, cum laesae maiestatis tum religionis crimine necabantur, convenit nomen ἀσεβῶν, nisi ipsum hoc sapit Porphyrium, siquidem Wilamowitzius[1]) initio Eusebianae praeparationis evangelicae (p. 4d Vig. sqq.) latere Porphyriana crimina quadam probabilitate ostendit ibique p. 5a Christiani item dicuntur πανταχόθεν δυσσεβεῖς καὶ ἄθεοι. Simul autem nostrum miserere sentimus innumerabilium, qui suppliciis cruciatibusque afficiantur, cum Christum velit id prohibiturum fuisse iusto loco se manifestando, nec non, etsi verbis Christum spectat, ipsius quoque animi sententiam protulisse videtur, cum bis ita iudicat: οὐδὲ γὰρ θεῷ δήπουθεν ἀρεστόν, ἀλλ' οὐδὲ ἀνθρώπῳ συνετῷ πολλοὺς δι' αὑτὸν[2]) ταῖς ἀνωτάτω τιμωρίαις ὑποβληθῆναι (23, 16 sqq.) et τοῦτο δ'οὐκ ἄξιον θεοῦ γνώμης, ἀλλ' οὐδ' ἀνδρὸς εὐσεβοῦς εἰς αὑτοῦ χάριν καὶ πίστιν πλῆθος ἀνδρῶν ἀπανθρώπως κολάζεσθαι (162, 7 sqq.).

Quem vero ad finem quove animo tam acriter Christianorum libros et opiniones refutaverit, noster nullo loco dicit, sed et initium libri Macariani perisse meminerimus neque in iis, quae nobis servata sunt ipsius Macarii interesse tam integros adversarii libros exponere quam singula eius argumenta in suum usum convertere; immo habemus, cur veram illius operis rationem atque originem paulum obscuratam et voces indignabundas contumeliosasque, quibus nunc singuli s. scripturae loci introducuntur, initio capitum cum flosculis dialogicis ab ipso Macario retractante exornatas esse existimemus. Mira tamen et apud nostrum saepius perlucet aestimatio Christi, de quo quid sentiat, optime ex eo cognoscitur, quod desiderat in eius imagine ab evangelistis descripta. Mirabilia autem eius facta, quibus Christiani maxime gloriabantur, etsi de iis in primo libro nunc deperdito pluribus actum esse videtur ex

---

1) Zeitschr. f. d. neutestamentl. Wissensch. I p. 101—105.

2) αὑτὸν non αὐτὸν, sicut habent editores, legendum videtur quoniam simili, quem adnexui, loco pariter legitur: εἰς αὑτοῦ χάριν καὶ πίστιν.

uno, quod superest fragmento, tamen aliquomodo eum neglexisse putare licet, quia περὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ τῆς πανταχοῦ θρυλλουμένης (23, 1) disputando *rem* nullo verbo perstringit, sed statim ad minutiorem de manifestatione se convertit quaestionem; et ubi Apollonium ei opponit Tyanensem (p. 52) non miracula eius spectat, ut iam diximus, sed dignitatem philosophicam. Iam, si Christum vult ἄξιόν τι σοφοῦ καὶ θείου ἀνδρός (52, 2) vel σπουδαῖά τινα καὶ σοφὰ διαφθέγξασθαι (ib. v. 9) et τὸν κριτὴν καὶ τοὺς παρεστῶτας παιδεῦσαι (v. 3), sapientem certe et divinum eum fuisse iudicat non aliter quam loco modo laudato eum significat nomine ἀνδρὸς εὐσεβοῦς vel ἀνθρώπου συνετοῦ vel alio loco appellat τὸν διδάσκαλον (94, 5) et — quamvis per conditionem — laudat (58, 15), quod τὸν τῆς ἀληθείας παρεδίδου κανόνα. Tota haec sententia convenit ei, quam Porphyrius de Christo protulerat ut homine piissimo et immortali facto[1]; quin etiam de passione eius aequaliter iudicat p. 52, 7: ὁ δὲ Χριστὸς εἰ καὶ παθεῖν εἶχε κατ' ἐντολὰς τοῦ θεοῦ, ἐχρῆν μὲν ὑπομεῖναι τὴν τιμωρίαν, scil. ut homo philosophus[2]). Christus venerabilis, Christiani ne ab ipso quidem edocti, quippe qui ne ipsius quidem imaginem recte percepissent, sic noster quoque iudicavit et sic intellegemus, ut supra iam exposuimus, quae praeter evangeliorum repugnantias etiam de Christi queritur ignavia (p. 52 sq.), iniustitia (p. 55—58), immanitate (94), inconstantia (99), inscientia (54), neglegentia rationis (24), al.: evangelistarum fallaciam (πλάσμα τῆς ἱστορίας) demonstraturus, quo verum Christum a discipulorum

---

1) Plura autem ne Macariano quidem philosopho concesserim, sed, si Christum in horto Gethsemane οὐκ ἄξια παιδὸς θεοῦ ait locutum esse, ἀλλ' οὐδ' ἀνθρώπου σοφοῦ (53, 6), quoniam propter similitudinem ceterorum locorum (23, 16 et 162, 7) philosopho id vix abiudicaverimus, eum, sicut verbis δεῖξαι τῷ ὄντι δίκαιον ὅτι θεοῦ παῖς ἐστι, ex evangelistarum quasi persona loqui recordabimur, cum opponat, qualem descripserint, ei, quem voluerint describere παῖδα θεοῦ. Contra ne hac quidem ratione explicarim, quod p. 102, 1 Petrum dicit ὑπὸ τοῦ θεοῦ doctum esse mortem parvi ducere idque *de Christo* vult intellegi, sed locum, si apud Macarium, at tamen non apud philosophum ita esse integrum censeo.

2) Celsus contraria ratione deum irriserat passum atque mortuum (Orig. c. Cels. I 54; II 17; VI 74).

vindicet somniis. Neque haec sunt omnia, quae contra Christianos profert, tametsi Macarius et codicis Atheniensis indices eum totum versari fingant περὶ τῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ vel ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ ζητημάτων, immo satis magna est altera pars etiam in libris Macarianis, qui nobis servati sunt, qua Christianos „pollutos et erroribus implicatos" traducit, cum κορυφαίων vitia et dogmatum insaniam demonstret.

His quoniam moribus et ingenio nostrum philosophum plane cum Porphyrio conspirare demonstravimus, iam inspiciamus placita philosophica, quae in posteriore illa parte maxime apparent. Ne autem exspectaveris apud nostrum summam philosophiae Platonicae vel Plotinianae in capitibus paucis atque a retractore dilaceratis neve omnino omnia, quae quando Porphyrius cogitavit: non iam in libro ca. a. 270 conscripto inveniemus theurgiam philosophiae ex oraculis hauriendae, quam non, ut ait Harnackius [1]), cum Christianis congressurus reposuerat, sed ipse omnino abiecerat recepta purgatione morali et intellectuali, cuius exhibet exemplum in 34. sententia τῶν ἀφορμῶν πρὸς τὰ νοητά [2]); neque igitur miraremur eo tempore apud Porphyrium id, quod Macarianus philosophus inique fert p. 198, nempe quod Christiani subito per baptisma gravissimis maculis liberari sibi videantur, siquidem ipse iam cum Platonicis summa ac diuturna voluntatis contentione aegre se κάθαρσιν adepturum existimabat. Nec iam theologiam illam exspectabimus libri π. ἀγαλμάτων, quae deorum naturam vel virtutes (δυνάμεις) — scilicet physicas — quodammodo assequi et cum simulacrorum forma conferre posse sibi videbatur; non denique plenam de omnibus rebus superioribus dubitationem, quam in epistula ad Anebonem data professus erat, sed quaeremus perfectum Plotinianorum placitorum assertorem, qui, ut supra demonstravimus (p. 40), publicae religionis numina nolebat philosophia arcere.

De duabus autem rebus maxime talem philosophum cum Christianis congressum esse putaverimus, de dis deoque et de mundi natura ac sorte, de qua Plotinus quoque cum Gnosticis

---

1) Cf. „Die Mission usw." p. 355, not. 2.

2) In editione Holstenianae Cantabrigiensi est p. 239.

disputarat; utrumque vero invenimus apud Macarii philosophum. Habet deum supremum (p. 199) sicut Christiani, τὸ πρῶτον scilicet vel ἕν Platonicorum, sed ne monarcha indigeat, quibus imperet, ut homo vere paganus postulat ab adversariis, ut deos statuant eius similes; at etiam a Christianis eos putari monet (p. 200), modo angelos, non deos appellari, totam igitur quaestionem esse nominum [1]). Unius haec Porphyrii esse possunt et longius illius quidem iam provecti in philosophia Plotiniana, qui proprie θεόν habet illud „primum" vel „unum" [2]), superiores vero vel divinas potestates, quae illi ministrent, parum curat, utrum philosophice ἀγγέλους vocet, an populari religioni obsecutus θεούς; nam cum in sent. 34. τῶν ἀφορμῶν (p. 238 Holst.) quattuor virtutum genera per gradationem adsignet σπουδαίῳ ἀνθρώπῳ, δαίμονι ἀγαθῷ, θεῷ, θεῶν πατρί, apud Augustinum alii servantur eius loci, quibus angeli a daemonibus segregati plane in deorum videntur locum succedere [3]).

Quod autem ipsos, qui dis debitum cultum praestent, in ligno vel lapide vel aere esse deum infitiatur credere (p. 200, 13 sqq.) iam in libro π. ἀγαλμάτων Porphyrius affirmarat ξύλα καὶ λίθους ἡγεῖσθαι τὰ ξόανα τοὺς ἀμαθεστάτους solos (Eus.

---

1) Vid. p. 200, 1 sqq.: εἰ γοῦν ἀγγέλους φατέ ... οὓς ἡμεῖς θεοὺς λέγομεν et paulo post: εἴτε οὖν θεοὺς εἴτε ἀγγέλους τις αὐτοὺς ὀνομάζει, οὐ πολὺ τὸ διάφορον.

2) Conferas in ἀφορμ. πρ. τὰ νοητὰ sent. 31. sollemnem Platonicorum trinitatem: ὁ θεός — ὁ νοῦς — ἡ ψυχή.

3) August. de civ. dei X 26 (p. 442, 28 Domb.): „a quibus (scil. daemonibus) longe diversa est pietas subditorum dei", i. e. angelorum, quos prius (v. 14 sq.) et hominibus theurgicis divina pronuntiare dixit, et ibid. X 9 (p. 416, 9): „discernit a daemonibus angelos aeria loca esse daemonum, *aetheria* vel empyrea disserens *angelorum.*" Quos Porphyrii locos Augustinus consulto opponit Apuleio, qui *deos* ad *aetheria spatia* rettulerit sive visibiles solem ac lunam et cetera ibidem lumina sive invisibiles, quos putaret; itaque siderum numinibus, quae maxime populus deos habebat, Augustino saltem Porphyrius videtur suos angelos exaequasse. — Ipse autem Porphyrius confusionis illius deorum et angelorum exhibet exemplum, cum ap. August. X 10 (p. 418, 5) per theurgiam commemoret homines quasdam mirabiliter pulchras *vel angelorum* imagines *vel deorum* ... videre.

praep. ev. 98a), scienti vero naturam deorum ea exprimere, hic tamen, si vere noster fuit Porphyrius, eum ad puriorem de omni cultus apparatu processisse iudicabimus sententiam, cum ὑπομνήσεως χάριν talia institui dicat, id vero esse gravissimum τῶν ῥυπῶν[1]) καθαρεύοντας εὐχαῖς καὶ ἱκεσίαις χρῆσθαι, sacrificia autem non dis honorem addere, sed documentum esse animorum sacrificantium haud ingratorum — quae omnino congruunt cum iis, quae Porphyrius de cultu deorum in libris π. ἀποχῆς ἐμψύχων conscripsit[2]) pari fere tempore atque opus κατὰ Χριστιανῶν.

Nec non quaerentibus, cur humana figura effingerentur deorum simulacra, cum in illo π. ἀγαλμάτων libro dixisset: ὅτι λογικὸν τὸ θεῖον, quasi ratio humana prima esset, hic ut philosophus vere Plotinianus Porphyrius videtur respondisse: ἐπεὶ τὸ κάλλιστον τῶν ζῴων ἄνθρωπος εἶναι νομίζεται καὶ εἰκὼν τοῦ θεοῦ. Etenim ut omnia, quae sunt[3]), ita homo maxime a Platonicis dici potest dei imago, quippe quem divina sibi anima ut suam formam produxerit, et ipse Porphyrius in libris de abstinentia conscriptis eum, qui iustitiae erga animalia legibus satisfecerit, dicit ὅμοιον θεῷ et „εἰ ἄχρι φυτῶν δυνατόν", pergit, „ἔτι μᾶλλον σῴζει τὴν εἰκόνα." — Denique quod Christi divinam naturam in mulieris uterum ingressam et cum immundissimis rebus coniunctam maximopere stupet (p. 202), hoc quoque est vere proprium Platonicis, qui nullo pacto divina vel intelligibilia cum materia vel corporibus coniungi posse tot locis repetiverunt, et rursus ipsum Porphyrium, abstinentiae ab esu carnium strenuum propugnatorem, sapit horror ille cenae domini, quam ἀνθρωποφαγίαν dicit (p. 94) cum suam carnem manducari suumque sanguinem bibi Christus iusserit[4]).

---

1) Sic enim recte opinor Duchesnium emendasse codicis illud τῶν λοιπῶν. — Blondel legit τὸ λοιπόν.

2) Conferas maxime II 34.

3) Videas Porph. ἀφορμ. πρ. τὰ νοητὰ sent. 35 (p. 242 Holst.): πᾶσα εἰκὼν νοῦ ἐστιν εἰκών.

4) Ipse demum hoc argumentum invenisse videtur, siquidem et Origenes (c. Cels. VI 80) et Athenagoras (de resurrect. c. 8, p. 57, 12 Schwartz) horridissimum esse iudicat humana carne vesci, eodem

Alterum vero inter Platonicos et Christianos discrimen fieri non potuit, quin iterum iterumque exsisteret τρόπος, quem illi dicebant, τῆς γενέσεως. Namque etiam ecclesiastici Christiani, qui mundum bonum ab optimo deo factum esse credebant, philosophis, ut iam diximus, videbantur etiam insaniore errore implicari Gnosticis, quod pulcherrimum hunc mundum periturum esse affirmarent, quasi deum consilii paenitere posset ac saeviret in ipsius liberos. Alteram autem de origine mundi in tempore a deo creati, non sine initio ac fine semper ex ipso formati sententiam, ex qua illa pendebat, non tam saepe habebant, cur proferrent paganis, quam spem suam temporum supremorum, iudicii mundi, resurrectionis, quae arte inter se coniuncta erant. Quare in hac maxime offendebant philosophi eoque magis, quod animae resurgenti materiam mortui corporis reservari contendebant, cum omnis materia atque etiam spiritualis sententia Platonicorum animis, si ad aeternam beatitudinem intrare vellent, exuenda esset, contra caelum divinum pulcherrimumque siderum concentum volebant daturum esse ruinam. Legas, quaecumque Plotinus de hac opinione contra Gnosticos protulit, apud Schmidtium (l. l.) et inspicias, qua ratione Macarii adversarius traducat Christianorum δημιουργὸν καταυλούμενον εὐλόγοις αἰτίαις (158, 14 sqq.), ὅτι λυπηρὰ . . . ἐτεκτήνατο τοῦ κόσμου τὰ μέρη, nisi forte de ipso creatore mundi a Paulo dictum sit „ἔχοντα φρονεῖν ὡς μὴ ἔχοντα καὶ τὸν χαίροντα μὴ χαίρειν", ἐπεὶ τὸν κόσμον ἔχων ὁ κτίσας ὡς μὴ ἔχων τούτου παράγει τὸ σχῆμα, ἐπεὶ τὸ χαρίεν καὶ λαμπρὸν κτίσμα ὁ δημιουργὸς βλέπων οὐ τέρπεται, καθάπερ δ' ἐπ' αὐτῷ πολλὰ λυπούμενος μετάγειν αὐτὸ καὶ μεταφέρειν διεβουλεύσατο, aliaque ibid. p. 164 et 165 et 204, 6 maximeque caelum describat, ὡς τάξιν ὁμοίαν ἔχει διαπαντὸς καὶ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ προχωρεῖ καὶ οὐδέποτε ὑπαλλάττεται ἀλλ' οὐδ' ὑπαλλαγήσεταί ποτε (164, 6 sq.) et cum eo comparet σεσηπότα καὶ διεφθαρμένα τῶν ἀνθρώπων σώματα ad aeternam vitam destinata, σπουδαίων ἔνια καὶ ἄλλα πρὸ τοῦ ἀποθανεῖν ἀτερπῆ καὶ ἀσύμμετρα καὶ ἀηδεστάτην ὄψιν ἔχοντα — iam ex his omnibus

---

autem crimine eucharistiam peti posse neutri videtur in mentem venisse.

cognoveris etiam placita philosophi nostri esse Porphyriana, sicut ingenio ac moribus cum eo congruebat.

Et in eundem optime cadunt singula quaedam, quae apud Macarianum leguntur philosophum. Studium rerum chronologicarum supra iam ad Porphyrium rettulimus et horrorem cenae domini ad scriptorem operis περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, cui convenit τῶν ἀλόγων quoque saepius facta mentio (95, 4; 159, 8) et quaedam erga ea misericordia atque patrocinium velut p. 56, 11: ἐλαύνειν μὲν ἐξ ἑνὸς ἀνθρώπου τοὺς δαίμονας, τούτους δὲ χοίροις ἐπιπέμπειν ἀλόγοις et maxime 127, 6: εἶτ' ἐπισυνάπτει τὸν λόγον ἀσαφῆ καὶ μεστὸν φλυαρίας (scil. Paulus) τῶν ἀλόγων τὴν θείαν ἀποτέμνων πρόνοιαν.

Temporum autem rationes supra plerasque expedivimus, cum Macariana exsecaremus ex adversarii capitibus, Hadriani mentionem nihil valere rati, barbaros provincias imperii incolentes et orbem terrarum evangelio occupatum fortasse Macarii esse additamenta, trecentos vero post Christum et Paulum annos ab eodem mutatos esse, contra Christianorum persecutiones optime Porphyrianae aetati congruere cognovimus; pauca nunc addenda sunt. Apollonium Tyanensem noster e Philostrati vita, quam initio s. III. conscriptam esse constat, iussu Iuliae Domnae imperatricis, quae a. 217. mortua est, videtur nosse; namque laudat philosophi παρρησίαν, qua praesente imperatore Domitiano locutus sit, Philostratus autem integram describit vel effingit defensionem eius; tum noster simpliciter pergit: τῆς βασιλικῆς αὐλῆς ἀφανὴς ἐγένετο, at, quomodo id factum sit, non magis quam Philostratus commemorat, qui l. VIII. c. 10 (p. 327, 16 Kays.): πρὸ μεσημβρίας μέν, inquit, ἀπῆλθε τοῦ δικαστηρίου, περὶ δείλην δ' ἐν Δικαιαρχείᾳ ἐφάνη, quo Damin discipulum antea se conferre iusserat (VII, 41), itemque noster[1]: μεθ' ὥρας οὐ πολλὰς ἐν πόλει Δικαιαρχείᾳ...

1) Alia sane in responsione Macarius (p. 66, 20 sq.) profert: καὶ λαλῶν αὐτοκράτορι ἐν αὐτοῖς που μέσοις τοῖς βασιλείοις σεμνῶς ἐν ταὐτῷ κηπουροῖς — ut Wendlandius me monet scribendum esse pro codicis κηπωροῖς — ἔσκαλλε τὰ κηπεύσιμα. — Quae paulo certiora videntur, quam ut mere inventa ea censeamus; sed unde ea sumpserit, quoniam alia de Apollonii vita vix habemus testimonia, non est decernendum, neque enim Goetschingius in dissertatione p. 36 laudata aliis nisi Philostrato auctoribus operam dedit.

ὀφθεὶς ἐπιφανέστατος, sed mirum in modum oppidi nomini addit: νῦν δὲ Ποτιόλοις καλουμένη. Quo additamento, si quid video, manifesto Porphyrium deprehendimus; etenim praeterquam quod is quodam libri π. ἀποχῆς ἐμψύχων II. loco, quem ipse videtur effinxisse (p. 179, 15 Nauck) similis studii nominum dat documentum, cum scribat: ἐν δὲ τῇ νῦν Σαλαμῖνι, πρότερον δὲ Κορωνίδι ὀνομαζομένῃ, quis, inquam, in hoc Δικαιαρχείας vel Ποτιόλων nomine haeserit nisi Porphyrius, cuius magister dilectissimus prope Puteolos vita decesserat, cuius amicus, qui absenti ultimos de illo nuntios attulerat, habitabat Puteolis, ut ipse auctor est in vit. Plotin. c. 2?

Alium etiam terminum, post quem philosophus Macarianus scripsisset, ex ipso adipisceremur, si quid certius de eo tempore compertum haberemus, quo Christiani templorum exemplo magnas aedes sacras aedificaré coeperunt. Namque quae adversarius scribit p. 201, 5: ἀλλὰ καὶ οἱ Χριστιανοὶ μιμούμενοι τὰς κατασκευὰς τῶν ναῶν μεγίστους οἴκους οἰκοδομοῦσιν, εἰς οὓς συνιόντες εὔχονται, ni fallor, de recenti more dictum videtur, et iam Tillemontius, cuius verba invenies apud Crusium (l. l. Mign. tom. X, p. 1360 § XI), ex illis verbis scriptoris aetatem ca. medium s. III statuerat, quae aetas optime Porphyrianae, quam quaerimus, convenit[1]). Pauca sane de hac materia inveniuntur in compendiis. Ioannes de Schubert, magister reverendissimus, monet[2]) temporibus Minucii Felicis taeterrima vocari potuisse sacraria Christianorum (Octav. c. 9), sed quietis temporibus s. III innumeras certe aedes sacras exstructas esse, nomen autem templorum vix ante Constantini aevum percrebruisse; conferas, etiam, quae Eusebius de temporibus, quae antecesserint persecutionem Diocletianeam, narrat in hist. eccl. VIII, 1 (p. 349 Diud.): τάς τε ἐπισήμους ἐν τοῖς προσευκτηρίοις συνδρομάς, ὧν δὴ ἕνεκα μηδαμῶς ἔτι τοῖς παλαιοῖς οἰκοδομήμασιν ἀρκούμενοι εὐρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας

1) Quod autem Crusius id refellere sibi videtur, elato discrimine nominum ναῶν paganorum et οἴκων Christianorum, pro nihilo habendum est, quia gravissimum verbum μιμούμενοι plane suppressit.

2) Moellers Lehrbuch der Kirchengesch. I. Teil. Neu bearbeitet von v. Schubert, p. 349.

τὰς πόλεις ἐκ θεμελίων ἀνίστων ἐκκλησίας. — Et qui historiam architecturae ecclesiasticae scripserunt, contendunt[1]) Romae, ubi Porphyrius magnam vitae partem degit, medio s. III. ecclesias 46 in manibus eius partis Christianorum fuisse, qui se appellabat catholicos.

His autem si ad medium fere s. III. deducimur temporum indiciis, Macarii adversarium ne multo quidem post eam Porphyrii aetatem scripsisse verisimile est, quoniam earum rerum, quibus ab ineunte s. IV. Christiani agitabantur, monachorum consuetudinis et theologicarum de christologia ac trinitate disputationum nusquam mentionem facit, immo Macarius, ut iam cognovimus, data opera nec sine aliqua vi saepius ea introduxit.

Videamus denique, num, si qua locorum vel regionum inveniantur indicia, ea faciant ad Porphyrium auctorem comprobandum. Magnam autem regionum vel populorum scientiam noster in fragmentis nobis servatis non profitetur: Scythas et Longaevos Aethiopes p. 94., quo loco ipsius, non Macarii esse disputationem censeo, affert ut ferarum gentium exempla; ibidem Harpagum Persam et Potidaeatas aliosque historiae vel fabulae Graecorum homines, qui coacti humanam manducarint carnem, sed de libris ac certis fortasse exemplorum collectionibus sumi potuit haec notitia non aliter quam Porphyrium in suis libris componendis e variis fontibus haud maxima semper diligentia corripuisse sua apparet, siquidem in eodem π. ἀποχῆς opere p. 206, 17 sqq. Nauck. narrat Scythas patres senes comedere, p. 267, 9 sqq. plane aliud indignatur in iis, quod, quos quisque mortuus maxime amarit, eos vivos cum illo sepeliant. — Nec magis noster, cum e memoria petit exempla, magnam profert scientiam, velut p. 200, 4, ubi variis nominibus apud diversos populos eadem numina appellari expositurus est, Graecorum Ἀθηνᾷ nisi Romanorum Minervam nescit apponere, Aegyptios, Syros, Thraces ἄλλως modo προσαγορεύοντας addit; Romanorum autem res ut in toto erant imperio notiores, ita Porphyrius, cum inde a tricesimo aetatis suae

1) Dehio et v. Bezold, „Die kirchliche Baukunst des Abendlandes“ I, p. 12

anno Romae fuisset, certe eorum mores ac fortasse linguam noverat. Puteolorum oppidi miram notitiam item Porphyrio in Italia degenti maxime congruere modo commemoravimus; quae vero de lacu Genezareth secundum auctoritatem τῶν τὴν ἀλήθειαν τῶν τόπων ἀφηγουμένων accuratissime exponit (p. 60, 8: λίμνην μικρὰν ἐκ ποταμοῦ συνεστῶσαν ὑπὸ τὸ ὄρος κατὰ τὴν Γαλιλαίαν χώραν παρὰ πόλιν Τιβεριάδα, ἣν καὶ μονοξύλοις μικροῖς διαπλεῦσαι ῥᾴδιον ἐν ὥραις οὐ πλεῖον δύο, μήτε δὲ κῦμα μήτε χειμῶνα χωρῆσαι δυναμένην, etsi haec scientia ad plane aliam regionem spectare videtur, tamen certis testimoniis paulo post videbimus ea adsignari Porphyrio, qui scientiam illam sive ipse e Tyria patria attulerat sive — id, quod historiae evangelicae ratio in descriptione semper habita significare videtur — data occasione, cum in eo s. scripturae loco offendisset, ex illorum locorum peritis percontatus est[1]).

Contra apud nostrum alia quoque Romam et occidentem ostendunt: namque Petri et Pauli martyrium Romanum commemorat (162, 3 sqq.), cuius martyrii memoria in ipsa urbe maxime sane celebrabatur; deinde apocalypsim Petri inter s. scripturae libros videtur legisse, quam, etsi parum accurate in provinciis ecclesiasticis collocari potest, tamen ca. a. 200 Romae certum habuisse domicilium ostenditur canone Muratoriano, qui dicitur; denique mira saepius s. textus forma proxime accedit, ut iam diximus[2]), ad eos s. scripturae codices Graecos, quibus

---

1) Verbis autem οἱ τὴν ἀλήθειαν ... ἀφηγούμενοι aliquem librum quoque significari posse fontem non negaverim, sed nescio, quemnam suspicaturus sis; apud Strabonem saltem nihil tale de illo stagno scriptum inveni. Contra inter Christianos scriptores, ut id afferam, recte Eusebius in Onomastico urbium et locorum s. scripturae (ediderunt Larsow et Parthey, Berolin. 1862) semper de *stagno* loquitur velut πρὸς τῇ Γεννησαρίτιδε λίμνῃ (p. 118, 5 similiterque 80, 7; 144, 1; 256, 1) vel ἡ λίμνη Τιβεριάδος (156, 5) et ἡ Τιβεριὰς λίμνη (326, 9).

2) Cf. p. 15, not. et 19, not. — Uno vero loco s. scripturae, evang. Ioann. 19, 29, quem locum adversarius affert p. 20, 10 sqq., hac nostri philosophi cum occidentalibus testibus consensione vel corruptela ipsius textus sacri omnibus codicibus nostris praeclaris vetustior indicari videtur. In s. textu legitur: σπόγγον οὖν μεστὸν τοῦ ὄξους ὑσσώπῳ περιθέντες προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι, noster autem habet: σκεῦος οὖν μεστὸν τοῦ ὄξους σὺν ὑσσώπῳ προσ-

simillimi fuisse ii putandi sunt, e quibus veteres nostri Latini versi sunt. Sed cum haec quaestio, ut diximus p. 15, not., sit difficillima neque certissimae virorum doctorum de singulis codicibus opiniones, satis habebimus statuere in universum et has s. scripturae lectiones aliaque indicia minora convenire Porphyrio non minus quam totam adversarii imaginem, qualis e Macariano opere cognoscitur.

δήσαντες προσήνεγκαν κτλ. nec, sicut vult Macarius (29, 6 sqq.), hyssopum dixit pro calamo, cui vas vini plenum adligaverint, ut est apud ceteros evangelistas; numquam enim posuisset σὺν ὑσσώπῳ προσδήσαντες. Ne autem leviter illud σύν expungam ut meram dittographiam, pluribus adducor causis. Primum non tam manifesta est litterarum duplicatio, ut statim eam admittere liceat tantum ad difficultatem tollendam. Praeterea hyssopi natura non ea est, ut gignat germina, quibus quasi pertica uti possis; immo quibus locis in Veteris Testamenti libris commemoratur hyssopus, „qui nascitur in muro“ (I. Reg. 5, 13), exemplar est herbae parvulae (ib.) vel sacrum purgatorium suffimentumque (Levit. 14, 4. 6; Num. 19, 6) cuius pugillum igni immittitur, et apud Graecos scriptores est vini condimentum τοῦ ὑσσωπίτου (Dioscorid. 5, 50 — in medic. Graec. editione a Kühnio parata tom. XXV p. 725 — et Geoponic. 8, 15). — Quid igitur, si hic vinum tale dicatur οἶνος (vel ὄξος) σὺν ὑσσώπῳ non aliter quam in nonnullis Novi Testamenti codicibus teste Tischendorfio hoc loco legitur ὄξους μετὰ χολῆς. Idem autem certe voluit vetus interpres Latinus e verbis quamvis confusis exprimere: „*hysopo admiscentes* spongiam ergo plenam aceto cum felle permixtum (sic!)“ — quo glossemate fortasse „vini“ vox suppressa est — „componentes obtulerunt“. In quibus „componentes“ aeque desiderat adminiculum atque apud nostrum προσδήσαντες: itaque, si recte video, testimonia hic habemus pristinae lectionis σκεῦος οὖν μεστὸν τοῦ ὄξους σὺν ὑσσώπῳ ⟨καλάμῳ vel tale quid⟩ προσδήσαντες κτλ. in omnibus fere codicibus corruptae ita, ut hyssopi natura parum iam perspecta is perticae vices suscipere cogeretur pro calamo. Verum autem rei statum adhuc reddit Nonnus in epica sua evangelii Ioannis paraphrasi, quam attulit Tischendorfius:

. . . ἀνὴρ τέ τις ὀξὺς ἀκούσας
σπόγγον ὑποβρυχίων ἀδύτων βλάστημα θαλάσσης
πλήσας δριμυτάτοιο ποτοῦ καὶ διψάδος ἅλμης
ἰθυπόρου καλάμου παρὰ νείατον ἄκρον ἐρείσας
ὤρεγεν ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος etc.

Cap. V.

Porphyrii quae ex libris κατὰ Χριστιανῶν servantur fragmenta, Macarianis opponuntur.

Ad extremum iam et non levissimum, quo Porphyrium comprobetur Macarii fuisse auctorem, nos convertamus argumentum, testimonia pauca scriptorum ecclesiasticorum, maxime Hieronymi et Augustini, quibus nescio, quo casu aliquid a Porphyrio in XV suis libris obiectum esse Christianis indicatur. Pleraque ea testimonia — non autem magnus est numerus — Holstenius l. l. congessit, nonnulla aliquo labore ex indicibus saepe falsis editionum Mignianarum, quae fere mihi praesto erant, conquisivi. Quae si inspexerimus, nonnulla propter argumenta, quae proferunt, cum Macarianis fragmentis nihil commune habere posse videbimus, sed ad alios locos magni operis Porphyriani pertinere, quos neglectos esse a Macario vel aliqua ex parte fortasse in libris deperditis allatos putabimus, alia tota disputandi ratione cum Macarii philosopho bene congruere, in reliquis satis mirum in modum profecto quaedam illius argumenta peculiaria ad Porphyrium referri.

Primi generis sunt locus ille, quem Theodoretus in Graec. affect. cur. XII (IV, 1040 Schulze) ex Euseb. praep. ev. repetivit, quo Porphyrium deorum templa deserta esse, cum Christus honoraretur, testatum esse dicunt, deinde Sanchuniathonis historici Phoenicis cum Mose comparatio, quam Eusebius in eodem libro (I, 10 et X, 9) et eum secutus rursus Theodoretus (ib. IV, 740 Sch.) tradunt a Porphyrio prolatam esse in libro IV, quamquam perscrutandas temporum rationes haud absonas esse vidimus a Macariani philosophi ingenio, tum prolixum illud de Origene et de interpretatione allegorica testimonium, quod servavit Eusebius in hist. eccl. VI, 19, denique quaecumque de Daniele propheta a Porphyrio libris XII et XIII tractato commemorat Hieronymus in prolog. comment. in Dan. (Mign. patr. Lat. XXV, 491 et 494) et in ipso commentar. libro saepius (p. 504, 533, 572), in comment. in Isaiam

(Mign. XXIV, 339), qui locus desideratur apud Holstenium, in apolog. adversus libros Rufini 33 (Mign. XXIII, 455), in comment. in Matth. 24, 16 (Mign. XXVI, 178). — Sed his omissis, cum ad nostram quaestionem non pertineant, ea inspiciamus, quae in libris V—XI et fortasse in extremis, e quibus nullum significata sede fragmentum traditur, Porphyrius contra Novum Testamentum et opiniones Christianorum protulisse arbitrandus est.

Inter quos Porphyrii locos plures omnino prae se ferunt rationem Macariani philosophi; etenim in universum Hieron. in epist. 57 ad Pammach. (al. 101), Mign. XXII, 575 dicit eum evangelistas falsitatis arguere ut Celsum atque Iulianum. Paulo accuratius idem Hieronymus in comm. in Matth. 9, 9 (Mign. XXVI, 56) Porphyrium et Iulianum vel imperitiam historici mentientis irrisisse tradit vel stultitiam eorum, qui statim salvatorem quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti. Nonne plane hoc nostri est in historiis evangelicis rem ostendere malam, impossibilem, ridiculam una relicta via ad Christum ipsum a criminibus vindicandum, nempe quod evangelistae inepte vel perperam sua effinxissent? Eodem autem modo noster discrepantias dictorum Christi et factorum investigat p. 23 id miratus, quod, cum Iudaeorum pontifici se cum nubibus caeli rediturum praedixisset, nemini post resurrectionem potentiorum se manifestaverit vel p. 62 oppositis verbis τοὺς πτωχοὺς πάντοτε ἔχετε, ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε et ἔσομαι μεθ' ὑμῶν ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, atque Hieronymus de Porphyrio narrat adv. Pelagian. II, 17 (Mign. XXIII, 552 sq.): „Negat (sc. Christus) fratribus et propinquis ire se ad scaenopegiam . . . et fecit quod prius negaverat[1]. Latrat Porphyrius inconstantiae ac mutationis accusat, nesciens“, ut Hieronymus explicat refutatione Macarianis simillima, „omnia scandala ad carnem esse referenda“. —

Vel si Augustinus in quarta quaestionum VI contra paganos expositarum (in epist. 102 (al. 49), Mign. XXXIII, 370 sqq.), quarum alteram, tertiam, quartam ab iis, qui sibi eas solvendas misissent, dictas esse ait de Porphyrio contra

1) Evang. Ioann. 7, 3 sqq.

Christianos excerptas esse tanquam validiora argumenta, sic illum loquentem induxit: „Minatur Christus sibi non credentibus aeterna supplicia[1]) et alibi ait: in qua mensura mensi fueritis, metietur vobis. Satis ridicule atque contrarie: nam si ad mensuram redditurus est poenam et omnis mensura circumscripta est fine temporis, quid sibi volunt minae infiniti supplicii?" — nonne eadem est argumentandi ratio, qua noster ridet (p. 24) amentiam, quasi princeps mundi e mundi finibus possit eici foras?

Quod autem Augustinus ibidem in quaestione tertia Porphyrium Christianis obiectare ait iniuria paganorum ritus sacrorum, hostias, thura ab iis accusari, cum idem cultus ab ipsis quoque, vel a deo, quem colerent, exorsus sit temporibus priscis, cum inducatur deus primitiis egens, quis, qui id legerit, non reminiscetur nostri, qui (p. 203) de pluribus dis iam Vetus Testamentum cum quadam reverentia loqui monet verbo θεοὺς οὐ κακολογήσεις (Exod. 22, 28) simulque Christianos perstringit, quod paganorum templa incipiant imitari (201, 5 sqq.)?

Neque, quae praeterea e Hieronymi libris protraxi, argumenta Porphyriana abhorrent a nostro; etenim in comm. in Isai. 3, 12 (Mign. XXIV, 66): „caveamus, inquit, et nos . . . ne iuxta Porphyrium matronae et mulieres sint noster senatus, quae dominantur in ecclesiis, et de sacerdotali gradu favor iudicet feminarum" — mirum sane crimen, sed eandem opinor esse attentam vitae Christianorum observationem, qua noster describit feminas propter virginitatem se comparantes τῇ τεξαμένῃ τὸν Ἰησοῦν (136, 6 sqq.) vel mulieres insignes, quibus a Christianis persuadeatur, ut distributis divitiis voluntariam suscipiant egestatem (58, 17 sqq.). — In libro autem contra Vigilant. c. 10 (Mign. XXIII, 348) cum Hieronymus adversarium hisce appellet: „responde, quomodo in vilissimo pulvere et favilla (scil. martyrum Christianorum) nescio qua tanta signorum virtutumque praesentia . . . nisi forte in morem gentilium impiorumque, Porphyrii et Eunomii, has praestigias daemonum esse confingas" — non satis certo diiudicari potest, utrum de signis ad sepulcra martyrum editis in libro-

1) Ioann. 3, 18 opp. v. 15.

rum κατὰ Χριστιανῶν aliquo capite egerit an in universum de miraculis illa pronuntiarit, tamen congruit miraculorum contemptio cum iis, quae de nostro philosopho exposuimus p. 35.

Denique breviter utrimque proponamus ea argumenta, quae cum apud Macarii adversarium inveniantur, eadem ab auctoribus ut Porphyriana laudantur.

Primum Hieronymus in Hebraic. quaest. in Genes. (Mign. XXIII, 939 sq.): „Porphyrius evangelistas, inquit, ad faciendum ignorantibus miraculum eo, quod dominus super mare ambulaverit, pro lacu Genezareth mare appellasse calumniatur" — quibus omnino noster convenit p. 60, maxime v. 15: ἵν' ἐκ τούτων ὡς μέγα τι τὸν Χριστὸν ἐνεργήσαντα σημεῖον εἰσαγάγῃ κτλ.

Idem Hieronymus in epist. 130 (al. 81) ad Demetriad. c. 14 (Mign. XXII, 1118) hoc servavit: „Denique et apostolus Petrus nequaquam eis (sc. Ananiae et Sapphirae) mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur" — id quod noster Petro crimini dat p. 101.

Petrum vero a Paulo Antiochiae reprehensum esse, quod πρὸς ἀνθρώπων ἀρέσκειαν πολιτεύεται, ac πολλὴν καὶ μεγάλην esse κατάγνωσιν ἄνδρα τοῦ θείου στόματος ὑποφήτην γενόμενον ἐν ὑποκρίσει ζῆν exprobrat noster p. 102, 13 sqq. aliaque Petri et Pauli dissensionis profert documenta ib. v. 18 sqq., idemque fuisse unum e gravissimis Porphyrii argumentis testis est Hieronymus variis locis: in prologo enim comment. in epist. ad Galat. (Mign. XXVI, 310) narrat eum „in primo operis sui libro obiecisse Petrum a Paulo esse reprehensum, quod non recto pede incederet ad evangelizandum, volentem — ut Hieronymus suis verbis videtur explicare Porphyrii finem — illi maculam erroris inurere et huic procacitatis et in commune ficti dogmatis accusare mendacium, dum inter se ecclesiarum principes dissident". In quo fortasse miratus, quod initio iam operis haec absolvisse dicatur, coniecturam feceris in libro primo, cum generales contra Christianos proferret obiectiones, eum haec quoque perstrinxisse, postea demum, cum quodam ordine Novi Testamenti tractaret libros, additis, ut apud nostrum, testimoniis ea exposuisse; sed cum nec de Porphyriani operis ordine ac ratione quicquam compertum habeamus

et Macarii compositione vix pristinum eius auctoris ordinem servatum esse antea probare conati simus, praestat abstinere coniecturis. Hieronymus autem saepius dispensatoriae, ut ait, illius contentionis principum apostolorum, quam Porphyrius quasi iurgium et certamen protraxerit, mentionem facit: in comm. in Isai. c. XIV (Mign. XXIV, 513), in comm. in ep. ad Galat. (XXVI, 341) in epist. 112 (al. 89) ad Augustin. (XXII, 919 § 6).

Duo etiam vel tria fortasse Porphyrii argumenta vere Platonica mihi videntur ex Augustini de civ. dei libris recuperari posse, etsi illis locis universam Porphyrii spectat philosophiam, non opus solum κατὰ Χριστιανῶν; quae argumenta omnia reperiuntur apud Macarii adversarium. Nam Augustinus l. X, c. 28 (p. 446, 29 Domb.) hisce Porphyrium alloquitnr verbis: „contemnis enim eum (sc. Christum) propter corpus ex femina acceptum", quocum conferas nostri argumentationem p. 202 prolatam. Deinde l. XX c. 24 (p. 467, 7 Domb.) illum Christianos ideo ait arguere stultitiae etiam ex oraculis deorum suorum[1]), quod istum mundum dicant esse periturum, quod argumentum a nostro satis esse tritum supra iam ostendimus p. 51. Denique eius rationis, qua noster resurrectionem oppugnat, maxime p. 204, 21 sqq. et 205, 5 sqq., similia quaedam inveniuntur apud Augustinum l. XXII. c. 25 (p. 618 Domb.), quae, quia toto eo capite Porphyrius impugnatur, quadam probabilitate item ad ipsum Porphyrium referri possunt; verba autem sunt haec: „Utrum enim *non potest facere*, ut resurgat caro et vivat in aeternum, an propterea credendum non est eum esse facturum, quia *malum est atque indignum* est *deo*?" et paulo, post: „*si volunt invenire, quod omnipotens non potest*, habent prorsus, ego dicam: mentiri non potest etc."

Unum denique restat argumentum simul ab Augustino et Hieronymo servatum, cuius summa eadem est apud horum utrumque et apud Macarianum philosophum, nempe quid innumerabilibus fiat hominibus paganis, qui ante Christi adventum

---

1) Quo loco ipsum illud „*etiam* ex oraculis deorum" ostendere videtur aliud opus praeter libros de philosophia ex oraculis haurienda haec spectare, certe igitur libros contra Christianos conscriptos.

vita decesserint, singula autem apud unum quemque diversa sunt: namque Augustinus in altera earum quaestionum, quas supra diximus esse in epist. 102 (Mign. XXXIII), multis verbis Porphyrium totam historiam percurrentem facit inde a Latio tamquam principio humani nominis per Albam ad Romam, dominam orbis terrarum, ad quam ne lex quidem Iudaeorum ante Caesaris Gai tempora pervenerit; apud Macarii autem adversarium (168, 5) eadem videntur artius contracta esse: εἰ γοῦν διὰ τοὺς κάμνοντας, ὡς αὐτὸς λέγει, ταῖς ἁμαρτίαις ἐπέστη, ἆρ' οὐκ ἔκαμνον οἱ πατέρες ἡμῶν οὐδ' ἐνοσηλεύοντο ταῖς ἁμαρτίαις οἱ πρόγονοι; postea vero, maxime inde a v. 9, alio modo iterum inflata, a Macario sane retractante; Hieronymus rursus in epist. 133, 9 (Mign. XXII, 1157) novas regiones barbarorumque affert gentes, sed sua verba mihi videtur Porphyrianis admiscuisse, cum scriberet: „quod solet nobis obicere Porphyrius, qua ratione clemens et misericors deus ab Adam usque ad Moysem et a Moyse usque ad adventum Christi passus sit universas gentes perire ignorantia legis . . . neque enim Britannia fertilis provincia tyrannorum[1]) et Scoticae gentes omnesque . . . barbarae nationes Moysem prophetasque cognoverant."

Hoc igitur uno loco non ita res clara evadit, ad cetera vero argumenta atque omnia, quae iam contulimus, si respexeris, quantum fieri potest his condicionibus, probatum erit ipsum Porphyrium esse scriptorem, cuius argumenta apud Macarium audiantur. Neque enim ullam habemus causam, cur alium effingamus Christianorum oppugnatorem prorsus ignotum, qui Porphyriana descripserit crimina, praesertim cum temporum rationibus, quas supra exposuimus, eum exiguo post Porphyrium spatio statuere cogeremur.

Accedit, quod, si Porphyrium censemus auctorem fuisse Macarii, optime quoque explicare possumus, undenam peculiaris ratio critica fortasse in certamen introducta sit. Celsum enim pauca nostro praestitisse supra iam vidimus p. 29 sqq., ge-

1) Quid hoc sibi velit, ne Holstenius quidem, qui in alio contextu hoc attulit p. 18, explicavit; ego id cum Christiana illa temporum discriptione, quae subito occurrit inter verba pagani, Hieronymo malim tribuere in epistula ad nescio quid alludenti.

nerales autem refutationes sententiarum Christianarum velut de Christi natura, de interitu mundi, de resurrectione, ex ipsius philosophia fluxerunt; nonnulla denique argumenta popularia, quibus iam antea apologetis s. II respondendum fuit, accedere videbis, ubi de caeli interitu ac miseri corporis humani conservatione contuleris, quae pronuntient Min. Fel., Octav. c. 11; Athenag., de resurrect. c. 3 et 4 (p. 51, 24 sqq. Schwartz); Iustin. Apol. I, 19 med; Tatian. πρὸς Ἕλληνας c. 6 (p 7, 1 Schwartz); Tertull., de resurrect. carnis 4, quibus nonnulla Celsum quoque debere videri supra diximus p. 30. — Sed apostolorum et s. scripturae auctoritatem primum inter ipsos Christianos infringebant haeretici correptis illorum moribus et argute protractis huius discrepantiis: Petrum et Paulum certantes ostenderant (Tertull. de praescript. haeret. c. 24 et 31; adv. Marc. I, 20; IV, 3) nec non evangelistarum ignorantiam, quam quid latere posset (Tert. de praescr. 22 et 23); multa in s. scriptura, maxime in Vetere Testamento Marcion invenerat indigna deo ita, ut Tertullianus, qui ea profert, cum haereticis non multo diversam stare congressionem queratur atque cum ethnicis (adv. Marc. II, 27), idemque ad irridendum incarnationis dogma persecutus erat, ut sequar Tertulliani verba (adv. Marc. III, 11 fin), „et partus immunda et pudenda tormenta et ipsius exinde puerperii spurcos anxios, ludicros exitus". Simillima vero et huius argumenti a nostro quoque prolati (p. 202) et curiosae eius s. librorum discerptionis ad pusilla saepius descendentis inveni in libro illo disputationis Archelai cum Manete haeresiarcha: illud ἐξ αἵματος καὶ σαρκὸς καὶ τῆς ἄλλης δυσωδίας τῶν γυναικῶν γεγενῆσθαι in epistula Manetis illis actis inserta (Mign. patr. Gr. X, 1436) et in ipsa disputatione (1508 A), deum μὴ ἔχειν μέρος μετ' αὐτοῦ τοῦ κόσμου μηδὲ χαίρειν ἐπ' αὐτῷ sed esse mutaturum (ib. 1448) sicut apud nostrum 158, 16 sqq., prolatum illud „quae mihi est mater aut fratres"? (1509 B), argumentum ex singularitate mundi petitum (1454) similiter atque apud nostrum (p. 24), obiectum illud: „vos ex patre diabolo estis" (1473 C), quod et noster habet (p. 26), irrisum illud Pauli (1453), quod noster p. 125, 25 traducit: „Si enim, quae destruxi, haec iterum aedifico, praevaricatorem me constituo" multaque dicta Christi et Pauli aut

inter se aut Veteri Testamento contraria, quibus ille quoque Manes subnixus (1493 A) ait nequaquam fieri posse, ut Christus ipse dixerit sermonem ab evangelistis traditum.

At nonne liber ille contra urgentem Manichaeismum emissus aliquanto posterior est Porphyrio? non ipsa Manetis religio ad finem demum s. III vel ineunte s. IV per imperium Romanum divulgari coepta est? Sed ait Kesslerus ille Manichaeorum religionis peritissimus in libro, quem de Manete conscripsit, maxime p. 159, religionem illam ab initio Babylonicam Christiana sero recepisse. Si autem recepit, veri simile est etiam obiectiones illas integras ab iis Christianis receptas esse, quos maxime sequebantur Manichaei, haereticis sane velut Marcionitis atque Gnosticis, qui dicuntur communi nomine. Optime autem ut homines eius ingenii, quod apud illos Manichaeos et apud nostrum philosophum cognovimus, Caius presbyter Romanus, maior certe natu quam Porphyrius, describit (Mign. patr. Gr. X, 32) sectam *Romanam* hisce verbis: κἂν αὐτοῖς προτείνῃ τις ῥητὸν γραφῆς θεϊκῆς, ἐξετάζουσι πότερον συνημμένον ἢ διεζευγμένον δύναται ποιῆσαι σχῆμα συλλογισμοῦ. — *Romae* Porphyrius cum Gnosticis *Persicas* quoque professis origines congressus erat et apocalypsim eorum Zoroastri dictam refutaverat; quid igitur mirum, si ab adversariis didicit aliquid eius artis, qua adversus ceteros Christianos eos uti videbat, qua in arte postea ipsum sane proprio etiam labore et studio tantum profecisse in fragmentis Macarianis admiramur.

Quod vero contra Porphyrium attulerunt Macarium p. 146, 25 ultro adversarium suum ad ipsius Porphyrii remittere ἐκ λογίων φιλοσοφίαν, meminisse oportet eum, etsi veterem Porphyrii librum describebat, tamen fingere eius argumenta sibi ab aliquo praesente collocutore obici; immo mihi eo, quod praeter tam paucos scriptores, Homerum, Herodotum, Aratum, ut supra diximus p. 4, ipsum laudat Porphyrium, aliquid comprobatur eum cum in litteris Graecis quaereret sui operis fundamentum, Porphyrii libros adisse.

At alio fortasse modo Porphyrii argumenta, quae legimus apud Macarium, etiamsi denegamus alium scriptorem, qui illa argumenta Macario in novo libro obtulerit, tamen immutata

esse ad finem nunc mera coniectura suspicatus sim. Nam si prolixum Porphyrii de Origene iudicium, quod Eusebius l. l. servavit, vel extremum, quod ex Augustino attulimus, fragmentum inspiciamus, tanto ampliora videntur quam Macariana capita, ut nunc, quae supra de Macarii ratione componendi statuimus, paulum restringere non recusaverim non sua modo verba eum intulisse ratus, sed hic illic etiam argumentationem Porphyrianam ad summas fortasse sententias coartasse, quoniam eius non intererat Porphyrianum opus integrum diligenter refellere, sed consiliis suis theologicis parare fundamentum. Ipsius autem Macarii libri nescio an ideo, quamvis praeclara exhiberent orthodoxae theologiae testimonia, tanta oblivione semper oppressi fuerint, quod infestissimi hostis in iis cognoscebantur sententiae.

At nos grato animo gaudeamus ea fortuna, qua maximae illius ingeniorum contentionis, qua sublimissima Graecorum religio cum Christiana fide decertabat, gravissima et pretiosissima nobis reddita sunt documenta!